Vincentij Renty

IN

Q. HORATII. FLACCI VENVSINI Librum DE. ARTE. POETICA

ALDI. MANVTII PAVLLI. F. ALDI. N.

Commentarius.

Ad Bartholomaeum Capram, Io. Francisci F. Iurisconsultum.

Domus S.ti Pantaleonis Scholarum Piarum ca Bibliothecae Alemps.na



VENETIIS. ∞. D. LXXVI

Apud Aldum 3

PRAESTANTI . VIRO

BARTHOLOMAEO CAPRAE

IO . FRANCISCI . F.

IVRISCONSVLTO

ALDVS . MANVTIVS

PAVLLI . F.

ALDI . N.

S.P.D.

IN explanandis antiquorum ſcriptis uaria eſſe hominum iudicia, BARTHOLOMAEE CAPRA, praeclare noſti: alij enim toti ſunt in explicanda uerborum proprietate, & in colligendis ueterum teſtimonijs, qui eodem uo-

cabulo ſint uſi: alij, dum interpretis officio fungi uolunt, Paraphraſim potius texunt. Interim utrique ſcriptoris ſententiam, quam breuibus uerbis ſe dilucidare profitentur, in quoq. ſuper omnia maximam operam ponere deberent, contemnunt. obſcuros locos ſaepe, ut ſcopulos, uitant. Quid his facias? Sua cuique, ut in prouerbio. Ego certe, cum uiderem ſummos uiros in interpretanda Horatij Arte Poetica ſummam curam adhibuiſſe, non animum mihi deeſſe ſum paſſus: immo & ipſe aggreſſus ſum hanc prouinciam alacri animo: quando, in magnis & uoluiſſe ſat eſt, ut ille ait. Modum quendam adhibui, qui ſi doctis placebit, erit, cur ualde laeter; ſin minus, cur ergo placere me poſſe ſperem eo in opere, quod a XX. fere doctis uiris tentatum ſit? Ita enim multi in Horatij Artem Poeticam ſcripſere, merito ut dubitari poſſit, plures ne uerſus ſint, an interpretes. Accedat igitur & hoc quidquid eſt mei laboris, ut

numerum

numerum expleat. Quod tamen aliquid esse, atque adeo multum, ea praecipue de caussa cupio, quod in fronte nomen praeseferat tuum, indicem & humanitatis tuae, qua semel complexus Patrem meum, numquam de nobis bene mereri destitisti, & obseruantiae meae, qui, si maiora non possum, quod possum certe, praesto. Fortasse uires mihi addentur aliquando, ut eas Tibi possim referre gratias, quas nunc summas habeo. Tu si me amabis, efficiam profecto, ut me amore tuo non indignum iudices. in eoq. iudicij tui auctoritas grauissima plurimum mihi adiumento erit. Vale, & a me Laelium Gauardum, Praepositum Ecclesiae D. Zenonis Ticini, praestanti humanitate, ijs ornatum litteris, quae liberalem uirum decent, amicum communem, hospitem etiam aliquando, ob miras ingenij suauitates, utrorumque nostrum, a me saluere plurimum, nisi graue est, iubebis.

Venetijs, Kal. Ian. ∞ . D . LXXV

ANTEQVAM *Horatij librum de Arte poetica (sic enim a ueteribus inscribitur, Quinctiliano lib. IIX. cap. 3. Prisciano, Diomede lib.III.cap.1. Donato in Ter. Ad. act. 5.sc. 3. Seruio in Virg. Aen.lib.I. & Probo: quamquam Carisius inter epistolas referat lib.II.) aggrediamur explanare; definiendum uidetur, quid Poetica sit, & unum ne, an plura Poematum genera.*

Poetica omnis, inquit Aristoteles, imitatio est. imitatio autem fit rhythmo, harmonia, metro, nec his omnibus necessario coniunctis, sed uel uno, uel duobus, uel omnibus; uno, cum regum, ducum ue gestae res, & bella epico uersu, idest hexametro carmine, celebrantur: qualis Homeri Ilias, Virgilij Aeneis. non enim aut Homerus, aut Virgilius rhythmo, uel harmonia imitantur, sed solo metro, in quo tamen ipso rhythmus inest, sed metricus, ex legitima pedum mensura, non harmonicus, ex uoce scienter, modulateq. temperata: qualis est in tragoedia, & comoedia. quod si quis, ut olim Empedocles, metro quidem, sed sine imitatione, utatur; hunc poetam esse negat Aristoteles. non enim uersus, sed imitatio poetam facit; ea scilicet, quae oratione fiat. hac ratione Lucretius, & Lucanus, quorum ille res naturales, hic Romanam historiam hexametro carmine narrauit, & qui

prae-

praeterea sine imitatione uersus faciunt, quo genere lyrici omnes, & elegiaci comprehenduntur, poetarum numero uidentur excludi. Tragoedia uetus, & comoedia non in omni parte metro, rhythmo, harmonia, coniunctis, sed κατὰ μέρος, idest in aliqua parte, imitabantur; & metro quidem, in sermone histrionum; metro, & harmonia, in ea chori cantilena, quam στάσιμον uocat Aristoteles, quod a stante choro, siue anapaesto, & trochaeo, qui pedes mobiles sunt, caneretur: metro autem, rhythmo, harmonia coniunctis, in reliquis chori canticis: quorum alterum, quod antecedit στάσιμον, πάροδον; alterum autem, quod subsequitur, κόμμον idem Aristoteles appellat. quamquam comoedia quidem commo caruit: quae cum lamentatione cantilena fuit in extrema tragoedia: cum in extrema comoedia laeta sint omnia, nec in ulla fere parte lamentatio. nec tamen defuisse comoediae credibile est in extrema parte chorum, qui laetos euentus ita cum rhythmo caneret, ut in extrema tragoedia tristes, & miserabiles canebantur. Dithyrambi etiam, qui erant hymni in Bacchum, & nomi, qui & ipsi musici cantus fuere, in omni parte rhythmo, harmonia, metro coniunctis imitabantur. Quaeri potest, an Platonis dialogi, quia Socratis imitentur sermones, poemata uocari possint. opinor, possunt. nam, si non uersus, sed imitatio poetam facit; quod Aristoteli uidetur, qui propterea poetam esse negat Empedoclem, quod sine imitatione uersus fecerit: non uideo, cur Platonis imitatio sine uersu poema non sit. eoq. magis in hanc sententiam delabor, quod Aristoteles, cum poesim dixit imitationem esse, ex tribus imitandi generibus

ribus unum appellauit λόγον, quo tam ſoluta, quam metrica ſignificatur oratio. idq. comprobauit ſequentibus paullo poſt uerbis, cum epopoeiam imitari dixit τοῖς λόγοις ψιλοῖς, ἢ μέτροις, ideſt uel nudis ſermonibus, uel uerſibus: nudos autem uocauit, quia ſoli, ſine rhythmo, & imitatione, imitarentur. cuius generis, ut puto, exemplum ſubiecit, quos appellat Socraticos ſermones, a Platone ſcilicet, alijsq. conſcriptos. imitantur enim Socratis ironiam, & conciſum diſputandi genus. Poematum genera, in quibus imitatio cernitur, quinque ponit optimus iudicandi magiſter, Ariſtoteles, epopoeiam, tragoediam, comoediam, dithyrambos, nomos. horum enim unumquodque imitatur: quod in epopoeia, tragoedia, comoedia ſatis conſtat. in dithyrambo, quo Bacchi laudes canebantur, quae ſit imitatio, dubitari poteſt. nam laudes aut uerae ſunt, aut falſae. ſi uerae, hiſtoria eſt, non imitatio: ſi falſae, quae poteſt eſſe ſine imagine ueritatis imitatio? Duplex occurrit reſponſio. nam, quod attinet primum ad eam partem imitationis, quae λόγῳ fit; concedo, cum uera narrantur, imitationem non eſſe; de falſis, non idem ſentio. ſunt enim falſa aut ueriſimilia, aut quae fieri non poſſunt. ex ueriſimilibus omnis ducitur imitatio: ea, quae fieri non poſſunt, imitatur nemo. quod ſi ueriſimilibus admiſcentur interdum uera; deſinit eſſe imitatio, quatenus uera narrantur; nec tamen poeſis non eſt ob eam cauſſam, ſed, quia ueriſimilia perſequitur, ab imitatione nomen capit. non enim aut in tragoedijs, aut in epopoeia nihil ueri locum habet: ſed ueriſimilia plura, quam uera. quod etiam de Home

rò fatetur Horatius, cum ait:

Atque ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Opinor igitur Poema esse, dithyrambum, quia constet ex Bacchi laudibus nonnullis fortasse ueris, plerisque tamen uerisimilibus. Nec uero dithyrambus metro tantum imitatur, quod facit, ut ostendimus, epopoeia, sed rhythmo etiam, & harmonia: quod ex Aristotele cognoscitur. quae tamen duo, nisi accedat oratio, poema non faciunt. nam in his non spectatur imitatio, sed in oratione, naturam alicuius, & mores, & facta referente. itaque sola oratio poema facere potest; rhythmus, & harmonia sine oratione non possunt. alioqui tibicines, cytharoedi, & fistulatores, adiuncta ad rhythmum harmonia, poetae essent, quoniam imitantur. quod nemo, ut opinor, concesserit. Nomis quoque, ut dithyrambis, coniunctam trium partium imitationem assignat Aristoteles.

VETERVM. SCRIPTORVM
LOCI
qui uel illustrantur, uel aliquo modo citantur.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

Iphi-

QVIN-

IN
Q. HORATII. FLACCI
VENVSINI
Librum
DE. ARTE. POETICA
ALDI · MANVTII
PAVLLI. F.
ALDI. N.
Commentarius.

HVMANO capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas,
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius, uelut aegri somnia, uanae
Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus: & hanc ueniam petimusq. damusq. uicissim;
Sed non ut placidi coeant immitia, non ut
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerumque, & magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus & alter
Assuitur pannus, cum lucus & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat hic locus. & fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc, si fractis enatat exspes
Nauibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
Institui, currente rota cur urceus exit?
Denique sit quoduis simplex dumtaxat, & unum.

EXPLANATIO

PRIMVM Horatij praeceptum, ne, quod ſibi argumentum poeta ſumpſit, ab eo diſcedat. nam ſi, una re propoſita, uarias, easq. diſſimillimas admiſcebit; eius poema tabulae pictae, in qua non ſimplex, & unum animal, ſed ex homine, equo, aue, piſce confictum cernatur, ſimile uidebitur. nam etſi poetis, item ut pictoribus, fingendi poteſtas concedatur; non omnia tamen licet fingere, ſed ea tantum, quae ueriſimilia omnes iudicent. poeta enim, ut oſtendit Ariſtoteles, ideo poeta eſt, quia imitatur. quod ſi fingat ea, quae fieri non poſſunt; quid imitabitur? Alterum praeceptum eſt de uitandis deſcriptionibus; quibus utebantur multi, quòd ita ſe ſua poemata illuſtrare arbitrabantur, ut ſiquis aſſuto purpureo panno ueſtem exornare uellet. uerum huic ornamento, ait Horatius, in poemate graui locus non eſt: ſicuti nec pingi cupreſſum oportuit in ea tabula, in qua naufragus non cupreſſum, ſed caſum ſuum, ſoluto pretio, pingi iuſſit. quo item in genere peccat is, qui cum amphoram facere coepiſſet, ab inſtituta forma ad urceum deflexit. his exemplis omnino deſcriptiones, ut argumento minime aptas, Horatius excludit, quamquam alioqui iucundae ſint. non enim idem ubique placet. purpureus pannus late ſplendet. ſit ita: non tamen in omni ueſte decet. Nunc uerba ipſa, & cum ijs ſententias ponderemus: hoc tamen praefati, uitium poematis ex uitio picturae apte ab Horatio demonſtrari. ſimilium enim debet eſſe comparatio: & picturae ſimillima pooeſis, ſic, ut loquens pictura, illa uero muta pooeſis dicatur. infra quoque: *Vt pictura, pooeſis erit*. Recte etiam comparatione uſus eſt rei oculis ſubiectae. nam comparatio ſumitur a rebus notis: nihil autem notius, quam quae oculorum ſenſu percipimus.

Humano capiti: muliebri: nam ſequitur, *Mulier formoſa ſuperne*.

uarias

-uarias inducere plumas: ut post ceruicem equinam sequantur alitis membra. *Varias*, dixit, uel quod ab equina iuba differunt auium plumae; uel ut non modo diuersas a proximis iubis, uerum etiam uarias inter se, id est, uariarum auium significaret; quo turpior, & ex plurium formarum adspectu monstri similior haec figura uideatur.

Vndique collatis membris: ex homine, equo, aue, pisce: quae si componantur, monstrum erit.

-turpiter: quid enim pisce turpius, cum muliere, eaq. formosa, comparato?

-atrum: uergit fere piscium color in atrum, cum in equis, & auibus alij colores, adspectu iucundi, cernantur. ideo piscem turpem in extrema pictae tabulae parte, mulierem formosam in prima, ut maxime contraria opponerentur, Horatius collocauit. Ater autem color ita distat, itaq. uincitur a nigro, ut albus a candido. & ater albo, niger candido respondet.

-Pisones: patricij, Calpurniae gentis, a Calpo oriundi, Numae regis filio, ut quidam putant.

-uanae Finguntur species: uanae quaedam, admodumq. diuersae species aegris occurrunt somniantibus. somniare igitur uidetur is, qui poema exorsus dissimilia narrat.

-ut nec pes, nec caput uni Reddatur formae. quod exemplum in tabula picta propositum est.

-pictoribus atque poetis: obiectio. dixerit aliquis, licere pictoribus, & poetis fingere. licet, inquit Horatius, sed ita, ne contraria fingantur. non enim pictori adiungere serpentes auibus, tigribus agnos liceret.

-geminentur: consocientur, copulentur: cum naturali odio diffideant.

Inceptis grauibus: poematibus magnas res initio promittentibus una & altera descriptio, ornamenti caussa, solet addi, quemadmodum uestis exornatur assuto purpureo panno: sed nunc non erat his locus: id est, in graui poemate

descriptionibus omnino uti non licet. nam descriptione quasi lasciuire poeta uidetur: quod non decet, cum grauiter inceperit, & magna se scripturum promiserit. debet enim in omni parte sibi conuenire. itaque subiungit Horatius: *Denique sit quoduis simplex dumtaxat, & unum.* quibus uerbis descriptiones aperte excludit.

-plerumque: non omnes, inquit, uerum plerumque hoc uitio laborant, ut unam, & alteram descriptionem in poema inducant.

Purpureus: purpurae plura genera ex Plinio colliguntur: sed Horatij temporibus, id est, Augusto principe, dibapham Tyriam uiguisse, idem Plinius lib. IX. cap. 39. ostendit, recitatis uerbis Cornelij Nepotis. Tyriae autem purpurae colorem nigranti rosae, uel sanguini concreto Plinius comparat. ex quo sequitur, ut praestantior longe sit dibaphae Tyriae color. fuit & uiolacei coloris purpura; sed ea Cornelio Nepote iuuene, ut ipse testatur, id est Sullanis temporibus, in honore fuit: nec multo post rubra Tarentina successit, eadem quae Tyria: postremo dibapha, id est, bis tincta; quam Cicero semel & iterum in epistolis nominat: Plinius dibapham Tyriam uocat: ut rubram, non uiolaceam, bis esse tinctam significet.

-late qui splendeat: sic, ut poema splendeat, ea describuntur, quae, graui iam inducto principio, non quadrant.

-cum lucus, & ara Dianae: quattuor exempla subiungit ineptarum descriptionum, quae grauibus inceptis, & magna professis, nihil habeant simile.

-& fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc, si fractis enatat exspes
Nauibus, aere dato qui pingitur?- Coepit iam cum pictorum uitijs poetarum uitia conferre: pergit igitur, & ait: pictor bene simulat cupressum. laudetur, si loco simulato: si uero, cum naufragus pingendus est, tum cupressus pingitur; quis laudabit? non enim cupressus ut male simulata, sed ut

alieno

alieno loco picta reprehenditur, sic descriptiones non in omni prorsus, uerum in graui poemate, cuius initio magna promittuntur, Horatius condemnat.

- *quid hoc:* quid cupressum fingis, si naufragus tibi, qui propterea pretium soluit, pingendus est.

- *amphora coepit*

Institui, currente rota cur urceus exit? Ita peccat poeta, cum, grauiter exorsus, in descriptiones inanes prolabitur; ut peccat figulus, cum, instituta iam amphora, in urceum deflexit: cuius & minor est, & diuersa forma. amphoram autem fictilem, non ligneam fuisse, ostendit Horatius lib. III. carm. cum ait, *Seu facilem pia testa somnum.*

- *Denique sit quoduis simplex dumtaxat, & unum:* ne singula uitia poetarum, alienas res ab argumento narrantium, persequatur; unico praecepto concludit, dandam operam esse, ut omnes poematis partes, tamquam unius corporis membra, apte componantur.

- *quoduis:* quia locutus erat de graui poemate; nunc de quocumque praecipit. quidquid scribis, nihil, inquit, diuersum admisceas.

HORATIVS

MAXIMA *pars uatum, pater, & iuuenes patre digni,*
Decipimur specie recti. breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem laeuia, nerui
Deficiunt, animique: professus grandia turget:
Serpit humi, tutus nimium, timidusq. procellae.
Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum.
In uitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus, & ungues

Expri-

Exprimet: & molles imitabitur aere capillos:
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse uelim, quam prauo uiuere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroq. capillo.

EXPLANATIO

DECIPIMUR *specie recti:* nam in eo ipso, quod rectum uidetur, peccamus. cuius uitij quinque subiunguntur exempla. in breuitate species recti inest: ex ea tamen obscuritas nascitur. laeuia sectatur aliquis: id quoque recti speciem habet: sed proximum est uitium, neruorum, animorumq. defectio. placet alijs grandia profiteri: inde fit, ut turgeant. eodem modo, qui procellas timent, & qui uariare cupiunt, utrique se recte putant facere, sed illi serpunt humi, hi prodigialiter uariant. Sic igitur & qui ornare poema student, utuntur descriptionibus, quae inceptis grauibus non conueniunt.

-sectantem laeuia, nerui

Deficiunt, animique. non enim in molli genere, quod opponitur aspero, uel nerui, id est ingenij uires, cernuntur, uel animi praestantia, quae sententiarum altitudine demonstratur.

-animi: pro animus, de uno enim sermo est, cum dixerit, *Sectantem.* sic Cicero in epistola quadam ad Atticum: *Quos tu libros laudando, mihi animos addidisti.*

-professus grandia turget. ut Lucanus, & in Achilleide Statius; qui plane turgent, exsilitatem fugientes.

Serpit humi, tutus nimium, timidusq. procellae. exemplum proximo superiori contrarium subiungit. ille professus grandia turget; hic, ne turgeat, fit exsilior. nam, quia timet, ne, si altius attollatur, in reprehensionem incurrat,

pro-

propterea nimium tutus ita demittitur, ut humi ſerpat. hos igitur omnes culpae fuga in uitium ducit, & recti ſpecies decipit.

-*procellae:* reprehenſionis: nam qui ſublimius effertur, ita reprehenſioni patet, ut excelſa loca procellis.

Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,

Delphinum ſiluis appingit, fluctibus aprum. Quinctum, & poſtremum exemplum deceptorum ſpecie recti poetarum. ſunt enim, qui ſtudio uarietatis ea fingunt, quae rerum natura nullo modo patitur; ut ſi pictor ſiluis delphinum, fluctibus aprum appingat. *Prodigialiter:* quammaxime: quod dum cupit, prodigialiter uariat. *Vnam:* non, unam rem, pro ſolam; ſed unam rem, pro unum aliquid, id quod ſibi uariandum praecipue delegit.

In uitium ducit culpae fuga, ſi caret arte. ita fugienda culpa, ne in contrarium uitium incidamus. id artis munus eſt. multi enim, dum prodigi eſſe metuunt, auari fiunt: & contra.

Aemilium circa ludum faber imus, & ungues

Exprimet: & molles imitabitur aere capillos:

Infelix operis ſumma, quia ponere totum

Neſciet - Tertium praeceptum, ne quis ideo ſe poetam putet, quod ex ijs rebus, quae a poeta multae requiruntur, unam aliquam egregie praeſtet, cum in ceteris deficiat. id aerarij fabri exemplo uenuſte Horatius oſtendit. Aemilius ludus gladiatorius ab Aemilio Lepido nomen accepit, in quo poſtea, ut ait Porphyrio, Polycleti balneum fuit. circa eum ludum tabernae fuerunt: quarum in ultima, quae ſcilicet in extremo ludi angulo locum habebat, faber hic, ab Horatio notatus, ſigna faciebat unguibus & capillis laudanda, ceteris partibus non item. *Imus faber*, ita dixit, ut, *Imus Ianus*, epiſt. 1. lib. 1. *Haec Ianus ſummus ab imo Perdocet.* cum primam, & ultimam uici partem ſignificaret.

-*molles:* qui facile flectuntur. *Operis ſumma:* toto opere: quia reliquas operis partes apte neſcit fingere. optime igitur in una, aut altera, ijsq. minimis rebus imitatur, in

ceteris

ceteris, quae plures maioresq. sunt, dissimilem se praebet.

- hunc ego me, siquid componere curem,
Non magis esse uelim, quam prauo uiuere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroq. capillo. Talem ego me in poemate, qualis ille in signis effingendis, esse nolim, sicuti nec habere nigros oculos, nigrumq. capillum cum turpi naso.

HORATIVS

4 SVMITE *materiam uestris, qui scribitis, aequam*
Viribus: & uersate diu, quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

EXPLANATIO

Quartum praeceptum

SVMITE *materiam* - Quartum praeceptum, ne suscipiat poeta, quod sustinere non queat. nam, si rem delegerit, quam praestare possit; nec in uerbis, nec in ordine peccabit.

- lucidus ordo: quia rebus lucem affert; alioqui sunt obscuriores.

HORATIVS

ORDINIS *haec uirtus erit, & uenus: aut ego fallor,*
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & praesens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

EXPLANATIO

Quintum praeceptum

ORDINIS *haec uirtus erit, & uenus* - Quinctum praeceptum, de ordine: quamquam facundiam prius nominauerit.

uerit. duobus autem propositis, interdum a priore, interdum etiam a posteriore aggredimur narrare, ut exemplis cognoscitur. & reuera prior est elocutione dispositio. Virtus, & uenus ita differunt, ut id, quod est, ab eo, quod uidetur. nam saepe uirtus sine uenere, id est specie quadam, & uenustate, saepe etiam sine uirtute, id est ui, & praestantia, uenus inuenitur. utroque igitur nomine tum utilitatem ordinis, tum iucunditatem demonstrauit Horatius.

-aut ego fallor: notauit hactenus poetarum uitia, nunc incipit docere: quod quidem aliquanto maius est: ideo modestiae gratia hoc interponendum putauit: suscepta enim magistri persona, temeritatis famam extimuit.

Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & praesens in tempus omittat: Vt ea dicat, quae dici nunc debent: reliqua in tempus illud reijciat, cum res postulabit, cum alienum tempus non erit.

-promissi carminis auctor: qui professus est, carmine se rem aliquam persequi uelle. auctor igitur carminis, qui carmen promisit. soluta autem oratione auctor is dicitur, cuius opera, consilio ue aliquid fit, aut cuius uerbis aliquid creditur, ut; fecit hoc auctore Pompeio: &, huius sermonis auctorem Valerium nominabat.

HORATIVS

In uerbis etiam tenuis, cautusque serendis,
Dixeris egregie: notum si callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum: si forte necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturq. licentia, sumpta pudenter.
Et noua, fictaque nuper habebunt uerba fidem: si

Graeco fonte cadant, parce detorta, quid autem
Caecilio, Plautoq. dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioq.? ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit: & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, semperq. licebit
Signatum praesente nota producere nomen.
Vt siluae folijs pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita uerborum uetus interit aetas;
Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentque.
Debemur morti nos, nostraque: siue receptus
Terra Neptunus, classes Aquilonibus arcet,
Regis opus: sterilisue diu potus, aptaq. remis
Vicinas urbes alit, & graue sentit aratrum:
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt:
Nedum sermonum stet honos, & gratia uiuax.
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore uocabula: si uolet usus:
Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi.

EXPLANATIO

IN *uerbis etiam tenuis, cautusque serendis:* Sextum praeceptum, de facundia. nam de inuentione primo loco, cum dixit, *Cui lecta potenter erit res,* tum de ordine, postremo de elocutione praecipit: quod etiam rhetores faciunt.

- *tenuis:* accuratus, ut singula consideres. contra, Pingui Minerua, pro rudi, dicitur.

- *serendis:* iungendis: unde Serta, quod serendis floribus

bus coronae fiant.

- notum si callida uerbum

Reddiderit iunctura nouum - si nouum uerbum ita feres, & locabis, ut ex apta reliquorum uerborum compositione uideatur notum, atque usitatum. Loquitur Horatius, nisi fallor, de simplicibus, non de compositis uerbis: quod ex ijs, quae sequuntur, licet conijcere. Alij de compositis praecipi existimant, quale est Aurifodina: & hanc duorum uerborum compositionem appellari ab Horatio iuncturam existimant. ego iuncturam interpretor collocationem, cum apte uerba omnia iunguntur, sicuti flores in corona.

- si forte necesse est: nouare uerba tum licet, cum exprimere usitatis rem omnino non licet.

Indicijs recentibus: nouis uerbis, quae abditam sententiam, aut rem patefaciant. *Fingere:* & hoc indicat, de simplicibus praecipi potius, quam de compositis. aliud enim est fingere, aliud componere.

- cinctutis non exaudita Cethegis: quae Cethegorum aetate in usu non erant, prorsus noua: nam quaedam noua sunt, quorum usus intermissus erat; quaedam autem, quae numquam fuerant. Cethegis igitur non exaudita, pro, antiquissimis temporibus, nedum proximis, inusitata. nam M. Cornelius Cethegus eloquentia primus Romae excelluit; quod Ennij testimonio probat Cicero in Bruto: ut ab eo nouata esse multa, siquidem uellet, quod Horatius ait, *Indicijs monstrare recentibus abdita rerum,* credibile sit. *Cinctutis,* Acron antique dictum putat, id est militaribus uiris, & ad militiam paratis: unde per contrarium dixit poeta, *Discinctos Mulciber Afros*; id est, imbecilles ad militiam. Porphyrio autem sic: *Omnes Cethegi morem seruauerunt eundem Romae. inter cetera descriptam comam tetulerunt. numquam * enim tunica usi sunt: ideo Cinctutos eos dixit, quoniam cinctum est genus tunicae infra pectus aptatae.* Ego, Cinctutis, accipio, pro priscis, latiore uinculo utentibus: contra quam

 delicati

delicati homines consueuerunt. prisci enim illi Romani ab luxu, qui deuicta Asia ciuitatem corrupit, longissime aberant. Cinctos autem super togam, non super tunicam, crediderim. nec obstat, quod alibi dixerit Horatius, *Discincta tunica fugiendum est:* & Suetonius mentionem fecerit de lato clauo Caesaris cincto, quae tunica fuit praetextatorum puerorum, & senatorum: nam tunica posterioribus temporibus inuenta est. antea uero toga tantum utebantur. qua de re sic Pedianus in explanatione orationis pro Scauro: *Cato praetor iudicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. in forum quoque sic descenderat, iusq. dicebat: idq. repererat ex uetere consuetudine, secundum quam & Romuli aetatis statuae in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt, togatae sine tunicis.* Non potuit igitur de cincta Cethegorum tunica loqui Horatius, quae in usu non fuit. Cethegorum autem nomen ad priscorum significationem praecipuum assumpsit. Comprobat hanc opinionem Plinius lib. XXXIV. cap. 6. cum ait de Cloelia: *Ceu parum esset, toga eam cingi.* quibus uerbis indicat, toga cingi solitos priscos Romanos.

-sumpta pudenter: quia licentiae nomen in malam partem accipitur, correxit pudoris admonitione. sic de translatione dixit in epistola ad Tironem Cicero: *Doctrina, domus, ars, domus etiam fidelis dici potest: ut sit, quo modo Theophrasto placet, uerecunda translatio.* Et lib. III. de Orat. *Verecunda debet esse translatio; ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non ui uenisse uideatur.* Quod idem fere dixit in lib. de claris Orat. cum de Calidio loqueretur. *Pleraque, inquit, translata; sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres.*

- - habebunt uerba fidem: probabuntur.

- Graeco fonte: ut philosophia, rhetorica, grammatica, triclinium, calix, uinum, & innumerabilia.

-parce detorta -: sumpta pudenter licentia.

-quid

quid autem
Caecilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? non debet concedi Plauto, & Caecilio, quod non conceditur Virgilio, & Vario, optimis aetatis nostrae poetis, ut scilicet nouis uerbis utantur multis. conceditur autem Plauto, & Caecilio, concedatur igitur & Virgilio, ac Vario. cur, inquit, quam mouendi licentiam Romani adimunt recentioribus poetis, eam ueteribus dant? Caecilium primo loco, deinde Plautum nominat, quod illi prima palma, huic secunda inter comicos poetas, multorum iudicio, deferretur. Sedigiti uersus recitat Gellius lib. xv. cap. 24.

Caecilio palmam statuo do comico:
Plautus secundus facile exsuperat ceteros. Hanc opinionem secutus est Cicero, cum dixit in libello de optimo genere oratorum: *Licet Ennium dicere summum epicum poetam, Pacuuium tragicum, Caecilium fortasse comicum.*

acquirere pauca: paucis uerbis, a me nouatis, augere linguam Latinam.

Inuideor: exsequitur suum praeceptum. dixerat enim, *Graeco fonte cadant;* &, *Inuideor,* de Graeco fonte sumptum: quod enim nos, mihi inuidetur, Graeci dicunt, ἐγὼ φθονοῦμαι. lepide igitur, & ingeniose, cum de nouandis loqueretur uerbis, nouum ipse uerbum induxit.

producere: malim, *Procudere,* quasi nummum: quo spectare uidentur duo illa uerba, *Signatum, Nota.*

pronos: celerem annorum cursum significat: nam prona facili quodam, & naturali motu deferuntur.

mutantur: mutantur in annos pronos, pro, singulis annis, celerrime abeuntibus, quia proni sunt.

Prima cadunt: utrum, *Prima,* cuiusque anni folia, quae prima uocari uidentur posse, cum sequentium annorum folijs comparata: an, *Prima,* idest, cuius arboris prima nata sunt folia, eiusdem prima cadunt, deinceps autem, quae

serius

ſerius nata ſunt. non enim omnium arborum folia eodem tempore naſcuntur.

- iuuenum ritu: more iuuenum, qui florent, & uigent non in omni aetate, ſed modo nati. ſic & ſeneſcunt uſu uerba, & noua uigent, ac delectant.

Debemur morti nos, noſtraque: Argumentum, cur nihil perpetuo idem eſſe debeat. nam ſi homines, humanaq. omnia intereunt: cur in uerbis praecipua condicio ſit, ut numquam intereant? *Debemur morti*, dixit, pro debemus nos ipſos morti. ubi uero iam aliquis perijt, nihil iam debet, quia, quod debebat, perſoluit. ideo Virgilius lib. xi.

Nos iuuenem exanimum, & nil iam caeleſtibus ullis
Debentem, uano maeſti comitamur honore. *Nil debentem caeleſtibus*, dixit, quia diem ultimum obierat.

- ſiue receptus
Terra Neptunus: ex operibus humanis, maxima, quae tamen conſumit uetuſtas, tria nominat, portum manu factum, paludem exſiccatam, amnem ab iniquo curſu detortum. Quod autem de portu Lucrino, quem Auguſtus fecerit, Acron opinatus eſt, haud ualde placet: cum ſit maior ἔμφασις, ſi de de quolibet portu, quam ſi de uno tantum, accipiatur. nec ucro in ea re, quae ad ipſum pertineret, nomen regis Auguſtus libenter audiſſet. accedit tertia ratio, quod illum uerſum, *Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis*, de quocumque flumine, non de Tiberi tantum, Horatius protulit: ut oſtendam paullo poſt, confutata ueterum duorum interpretum ſententia. περίφρασις eſt, *Receptus terra Neptunus*, pro portu manu facto. nam in portu faciundo maris aqua recipitur.

- claſſes aquilonibus arcet: poetice. pro, defendit claſſes ab aquilonibus. Sic Virgilius lib. iix. *Accipite Aenean, & tandem arcete periclis:* ideſt, incolumem ſeruate.

- regis opus: impenſae maximae, nec tamen perpetuo duraturum.

Vicinas

Vicinas urbes alit : frugibus exaratis, ubi aquae tantum fuerat, quantum nauigio satis esset.

-*cursum mutauit:* de Tiberi ab Agrippa deriuato, cum antea per Velabrum fluxisset, Porphyrio dictum putat: cui uidetur Acron assentiri. sed alucinatur uterque. nam eum locum, qui postea Velabrum dictus est, ante Augusti tempora exsiccatum fuisse, non solum Varro lib. IV. uerum & Plautus, multo antiquius Varrone, docet in Captiuorum fabula, in qua nominat olearios in Velabro. Et Cicero in epistola ad M. Brutum. *Vos*, inquit, *Pontifices Larentiae ad aram in Velabro facere soletis.* Non igitur, si ara in Velabro, si olearij fuere, palus fuit, quam postea exsiccatam ab Agrippa, Augusto imperante, Porphyrio commentus est. Praeterea, numquam Tiberis per Velabrum fluxit, sed, aquis interdum extra ripas diffluentibus, ac residentibus, palus facta inter Auentinum, & reliquos montes; ex quo Velabri nomen ortum, quod ab urbe ad Auentinum ratibus ueherentur. huius rei auctor est Varro. Nihil igitur proprie, sed de quocumque portu, quacumque palude, quocumque flumine significauit Horatius: quo etiam narratio uidetur excelsior.

-*mortalia facta:* non quae mortalia sunt, idest moritura, sed quae mortales faciunt. argumentum a maiori. si facta peribunt, sermonum honor, & gratia perpetuo manere non debet.

-*si uolet usus:*

Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi: Arbitrium usui tribuit, quia iudicat, quae accipienda sint uerba, quae reijcienda, aut retinenda; uim, quia potest accipere, reijcere, retinere, quae uult; normam, quia sermonis uniuersi, cuius partes multae sunt, rector, & moderator est.

HORATIVS

RES *gestae, regumque, ducumque, & tristia bella*
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

Versibus

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos Elegos emiserit auctor,
Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit Iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq. cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus diuos, puerosq. deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.
Descriptas seruare uices, operumq. colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens praue, quam discere, malo?

EXPLANATIO

RES *gestae, regumque, ducumque, & tristia bella*
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus. Transit ad ostendenda poematum genera, ut, quo quaeque res metro sit agenda, cognoscatur. ac primum bellis assignat epicum carmen; querimoniam, atq. etiam sententiam uoti compotem elegiaco; irae, & maledicentiae iambum; qui postea receptus in comoediam, ac tragoediam est: diuorum laudibus, pugilum equorumq. uictorijs, iuuenum amoribus, & conuiuijs lyricum. Hunc poetarum ordinem & Censorinus in perutili illo libello de die Natali, (quem a nobis emendatum propediem emittemus,) capite de Musica, seruauit. nominauit enim primo epicos poetas, Homerum, Hesiodum, Pisandrum; mox elegiarios, Callinum, Mimnermum, Euhemerum; tum iambicos, Archilochum, & Simonidem; quarto loco comicum Eupolin; postremo

lyricos

lyricos, Alcmana, Telesillam Argiuam, Pindarum. Ita enim ibi legendum opinor. cum in uulgatis Telesillae nomen ita mendosum sit, ut ne uestigia quidem uix uerae lectionis agnoscantur. De Telesilla autem Plutarchus de clar. mul. Lucianus in Amoribus, Athenaeus, Pausanias, Hephaestion.

In his Horatij uersibus duo requiri possunt: unum, quod, cum suam cuique uersui materiam dederit, id in comoedia tragoediaq. omisit: alterum, quod dithyrambi mentionem omisit. Respondetur, comoediae, tragoediaeq. materiam, quia satis nota esset, cum utraque quotidie fere spectaretur, ostendi non oportuisse. dithyrambus autem Horatij temporibus iam exoleuerat. Itaque & eruditus interpres Lycophronis Tzetzes quattuor poetarum genera numerat, epicos, iambographos, tragicos, lyricos, omissis dithyrambicis. nam, quod comicos, de quibus mentionem facit Horatius, non nominat: id, opinor, eo fecit, quia comoedia, quod ad uersum attinet, a tragoedia non distat. At Cicero dithyrambicos poetas nominat in prooemio imperfecti libri de optimo genere oratorum. quis negat eos fuisse? Sed, qui iam essent infrequentiores, aut fortasse nulli, cur ijs praeciperet Horatius? itaque de comoedia, ac tragoedia, quae praeter cetera poemata uigerent, agit pluribus uerbis, quam de ceteris omnibus.

Res gestae: bello Troiano

-regumq. ducumq. Graecorum, & Troianorum.

-tristia bella: unde caedes, & tristia quaeque nascuntur.

-numero: uersu.

-Homerus: non solum ingenij praestantia, sed ordine etiam temporis, omnium epicorum poetarum primus: de quo sic Velleius lib. 1. *Hoc in Homero maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neque post illum, qui eum imitari posset, inuentus est. neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, prae-*

ter Homerum, & Archilochum, reperiemus. Ariſtoteles autem in Arte poetica, non uidetur Homerum agnoſcere primum tempore inter epicos poetas, ſed ingenio ſummum, & eum, qui non modo primus, uerum etiam ſolus ad eam diem, quid in epico poemate ſeruandum eſſet, acute uiderit, egregieq. praeſtiterit. Et primum quidem appellat in eo loco: Τα εἴδη ταῦτα δεῖ ἔχειν τὴν ἐποποιίαν τῇ τραγῳδίᾳ· ἢ γὰρ ἁπλῆν, ἢ πεπλεγμένην, ἢ ἠθικὴν δεῖ εἶναι· ἔτι τὰς διανοίας, καὶ τὴν λέξιν ἔχειν καλῶς· οἷς ἅπασιν Ὅμηρος κέχρηται καὶ πρῶτος, καὶ ἱκανῶς. Solum autem, cum ſubiungit paullo poſt: Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν ὐκ ἀγνοεῖ, ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν. αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν· ὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής.

Verſibus impariter iunctis: elegiacis, hexametro, & pentametro.

- *querimonia:* unde nomen Elegiae natum. Ouidius in deplorāda Catulli morte: *Flebiles indignos elegia ſolue capillos:*
Ah nimis ex uero nunc tibi nomen erit.

- *uoti ſententia compos:* inuentus eſt funebrium lamentationum gratia numerus elegiacus: poſt ad rerum iucundarum ſignificationem tranſductus eſt. nam ſuos amores tum Graeci, tum Latini poetae multi elegiaco uerſu perſecuti ſunt.

- *exiguos:* ob tenuitatem argumenti.

Grammatici certant: Terentianus Callinoum, alij Etheoclem Naxium, Archilochum quidam putant. Cenſorinus Callinum, Mimnermum, Euhemerum antiquiſſimos poetas nominat.

Archilochum: natum in Paro inſula, ut ait Strabo, Numa Romae regnante. nam Tullo rege floruit.

- *proprio:* non quod iambum, ut quidam putant, primus inuenerit, ſed quia primus in conuicijs iambo uti coeperit: quo Lycambem, ſocerum ſuum, quia deſponſatam ei filiam non dederat, ita inſectatus eſt, ut ille, dolorem non ferens, & cum eo tres filiae laqueo ſe ſuſpenderint. iambo

autem

autem usum esse Homerum multis ante Archilochum annis, Aristoteles docet: itaque non iambus, sed acribus iambus Archilochi proprius fuit. unde Ouidius in Ibin:

Vtque repertori nocuit pugnacis iambi,

Sic sit in exsilium lingua proterua tuum. Iambus postea in comoediam, ac tragoediam est receptus: non quod iam ex iambis totae constent: sed quod earum partes non nullae iambis constent. ideo dicit Horatius:

- *Hunc socci cepere pedem, grandesq. cothurni.* est enim Soccus comici calceamenti genus, Cothurnus tragici: &, quia tum argumenti, tum etiam metri sublimitate tragoedia comoediam superat, ideo grandes appellantur cothurni.

Alternis aptum sermonibus: quales in comoedia, tragoediaque sunt: nam ex persona sua nihil poeta pronunciat. & sane iambum sua sponte in sermonem nostrum incurrere, his uerbis Cicero demonstrat lib. III. de Orat. *Iambus, & trochaeus natura incurrunt ipsi in orationem, sermonemque nostrum.* Et in Oratore: *Sequitur, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, uidendum sit. sunt enim, qui iambicum putent, quod sit Oratori simillimus: qua de caussa fieri, ut is potissimum propter similitudinem adhibeatur in fabulis.* Et ibidem paullo post: *Aristoteles iudicat heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio, iambum autem nimis e uulgari esse sermone.* Aristotelis autem de iambo locus hic est Rhetoricorum lib. III. Ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. Idemq. sic in libro de Arte poetica: Μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι. σημεῖον δὲ, πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Et alio loco in eodem libro: Ἐν δὲ τοῖς ἰαμβείοις, διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι, ταῦτα ἁρμόττει τῶν ὀνομάτων.

- *& populares*

Vincentem strepitus, & natum rebus agendis. Iambus, uel si obstrepat populus, tamen incurrit in orationem sua sponte, nulla nostra industria: cum ceteri pedes, si strepi-

tus exaudiatur, ideo continuari non possint, quia studium, animiq. intentionem, quae remittitur strepitu populi, requi runt. Veteres interpretes uinci iambo strepitus populares ideo dictum existimant, quod sonet altius in scena, quam po puli clamor est. quod mihi non probatur: primum, quia non in scena tantum, sed ubique strepitum populi uincit; cum ubique, ut dixi, in sermonem nostrum incurrat: deinde, quia iambus ex ijs pedibus est, qui fere sono carent: ex quo dixit Aristoteles humilem eo, & abiectam orationem fieri. Nec uero placet, quod item scriptum uideo, iambum laudari debere magis, quam laudetur; ideo strepi tus populares, idest laudes populi uincere. cur enim inter pedes praecipue laudetur iambus, cum sit humillimus pes, & industriae nostrae nihil, uel nobis imprudentibus effluens, requiratur? Est autem natus rebus agendis, quia frequens in sermone uersatur, & ad agendas res sermo necessarius. Sumpsit hoc Horatius, ut opinor, ab Aristotele, qui iambum πρακτικὸν uocauit in Arte poetica.

Musa dedit fidibus diuos, puerosq. deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre. De melico, siue lyrico poemate agit: cuius materiam ostendit deorum laudes, aut heroum, qui deorum pueri uocantur, aut pugilum, aut eorum, qui equi cursu uicissent, aut amores, aut compotationes. -*fidibus:* quia lyrici poetae ad lyram canebant, unde nomen acceperant. -*diuos:* quale illud Horatij in Mercurium lib. I. *Mercuri facunde, nepos Atlantis*. Et in eundem lib. III. & in Dianam, atque Apollinem, lib. I. & IV. Carm. & in Bacchum, lib. II. & III. & in Epodis. -*pueros deorum:* heroes, ut Herculem, Theseum, Peleum: quorum res gestas in conuiuijs ad lyram poetae canebant. -*pugilem:* pugiles dicebantur, qui caestibus pugnabant, ut apud Virgilium Entellus, & Dares. celebratur enim apud Graecos πένταθλον, id est certamen ex quinque generibus,

pugilatu,

pugilatu, cursu, saltu, disco, lucta. laudatur a Pindaro in Olympijs pugilatu uictor Agesidamus Locrus, equo Hiero Syracusanus.

- iuuenum curas: amores: cuius generis nullum exstat apud Pindarum exemplum, apud Horatium multa.

- libera uina: conuiuia quoque laudari dicit a lyricis poetis. Horatij ode legitur ad amphoram lib. II. Libertatem uino tribuit, quia liberior in conuiuijs est sermo. unde illud, *Quid non ebrietas designat? operta recludit.*

Descriptas seruare uices, operumque colores,

Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor? Immerito poetas putari dicit eos, qui, quod cuique poemati conueniat, aut ignorant, aut praestare nequeunt: quid autem sciri, praestarique oporteat, iam docuit, enumeratis proxime poetarum generibus.

Descriptas seruare uices: quod seruare quisque debet. exempli gratia: siquis res gestas regum, aut ducum, aut tristia bella narrare instituerit, epico carmine, Homero ad imitandum proposito, utatur: si querimoniam, aut aliquid etiam laetum exponere, elegiaco: si cui maledicere, iambo Archilochio, id est, acerbissimo: si alternos sermones describere, quod in comoedia, tragoediaq. fit, eodem iambo, sed non Archilochio: si deos, heroes, athletas, amores, conuiuia referre, lyrico uersu. *Vices,* dixit, quod ad quemque pertinet. *descriptas:* assignatas, distributas: nam, cum sint uaria genera poetarum, suae cuique descriptae, ac distributae sunt partes. Sic, *Describere pecunias,* pro distribuere, dixit Cicero epist. I. lib. XII. ad Cassium: &, *Vectigal ijs aequaliter Sulla descripserat,* epist. I. lib. I. ad Quinctum: pro, distribuerat. Alibiq. saepissime. Vel, *Descriptas uices:* non ad singula poetarum genera, quod cuique argumentum congruat, sed quod ad rerum, personarumq. decorum pertinet. ut, si quis epici carminis argumentum tractet, rationem habeat rerum, ac personarum; quod de-

corum

corum Latini, πίνον Graeci uocant.

- *operumq. colores:* utrum explanat, quod dixit, an hoc aliud eſt? explanat, opinor. nam, ut res coloribus, ita poematis partes propria cuiuſque natura diſtinguuntur, ne praeter decorum aut dicatur aliquid, aut fiat: de quo infra:

- honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis:
Sit Medea ferox, inuictaque, flebilis Ino. &c. *Operum igitur colores*, diſſimilitudines partium: quod ſingulae partes opera poetae ſint, in quibus, ut in ſuis operibus artifices, elaborant. Alij, *Operum colores*, accipiunt, pro, formam, & quem Graeci χαρακτῆρα uocant, cuiuſque poematis, quale illud infra:

Nec ſic enitar tragico differre colori.

Cur neſcire, pudens praue, quam diſcere, malo? Cur, pudore prauo commoti, neſcire multi malunt, quam diſcere? Pudor & prauus, & bonus eſt; prauus eorum, quos pudet diſcere, ne neſcire uideantur; bonus, qui deterret a malefactis.

HORATIVS

VERSIBVS *exponi tragicis res comica non uult.*
Indignatur item priuatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cena Thyeſtae.
Singula quaeque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen & uocem Comoedia tollit:
Iratusq. Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus, & Peleus, cum pauper, & exſul uterque,
Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia uerba,

Si

Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querella.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata: dulcia ſunto;
Et, quocumque uolent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani uultus. ſi uis me flere; dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia laedent.
Telephe, uel Peleu, male ſi mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. triſtia maeſtum
Vultum uerba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, laſciua: ſeuerum, ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum maerore graui deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta:
Romani tollent equites, peditesq. cachinnum.

EXPLANATIO

INDIGNATVR *item priuatis, ac prope ſocco Dignis carminibus narrari cena Thyeſtae:* neque humili uerſu magnam rem, neque ſublimi paruam narrari decet. priuatos igitur uerſus comoedia, graues, & a communi ſermone alienos tragoedia poſtulat. Sic Cicero: *In tragoedia comicum uitioſum eſt, in comoedia turpe tragicum: & in ceteris ſuus eſt cuique certus ſonus, & quaedam intelligentibus nota uox.* Verumtamen, inquit Horatius, comicis interdum uerſibus in tragoedia, tragicis in comoedia locus eſt.

-*priuatis:* a rebus publicis, quod eſt argumentum tragoediae, excludantur priuati uerſus.

-*prope*

- *prope soco dignis:* non modo comicos, uirum etiam comicorum prope similes tragoedia uersus respuit.

- *cena Thyestae:* tragoediam Thyestem, a Seneca scriptam, habemus: sed eam scripserat antea Euripides, quem Stobaeus appellat, & Carcinus, quem Aristoteles in Arte poetica. Ab his fortasse argumentum sumpsit Ennius: de quo Cicero Tusc. I. & Varius, poeta egregius, Horatij aetate: de quo sic Tacitus in dialogo de Oratoribus: *Nullus Asinij, aut Messallae liber tam illustris est, quam Medea Ouidij, aut Varij Thyestes.* Et Quinctilianus lib. x. *Varij Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest.* *Thyestis* autem *cena* dicitur, quod ei filium epulandum frater Atreus apposuisse dicitur, dolore uirginis ab eo stupratae. Eiusdem argumenti fabulam scripsit Attius, Atreumq. inscripsit: de quo Gellius lib. XIII. cap. 2. & Cicero pluribus locis.

- *Thyestae:* pro, Thyestis, ut Anchisae ab Anchises, more quorundam nominum, Graece in ης desinentium, ut Θυέστης, Ἀγχίσης.

- *decenter:* ut seruetur decorum. Cicero lib. I. Off. *Tum seruare illud, quod deceat, poetas dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, & fit, & dicitur: ut, si aut Aeacus, aut Minos diceret,*

Oderint, dum metuant: aut,

Natis sepulcrum ipse est parens:

indecorum uideretur, quod eos fuisse iustos accepimus: at, Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio: quocirca poetae in magna uarietate personarum, etiam uitiosis quid conueniat, & quid deceat, uidebunt.

- *uocem Comoedia tollit:* ut in Adelphis Terentius: *O caelum, o terra, o maria Neptuni.* Quod ut tragicum notauit Donatus, recitato hoc Horatij uersu.

- *tumido:* quale iratorum est.

- *delitigat:* quod in Andria loquitur iratus Chremes cum Simone, Pamphili patre, cui filiam uxorem promiserat.

rat. hoc eſt:

- perpuliſti me, ut homini adoleſcentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filium darem in ſeditionem, atque incertas nuptias;
Eius labore, atque eius dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetraſti: incepi, dum res tetulit: nunc non fert: feras.
Illam hinc ciuem eſſe aiunt: puer eſt natus: nos miſſos face.

Commotus haec dicit Chremes, non uſqueadeo tamen, ut in eum conueniat, *Tumido delitigat ore*. Itaque de quauis comica perſona dictum hoc ab Horatio uidetur.

- ſermone pedeſtri: *ſoluta oratione, quem Graeci* πεζικὸν λόγον uocant. Quinct. lib. x. *Multum ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Graeci uocant, Plato ſurgit.* Et hic Ode XII. lib. II.

- tuq. pedeſtribus
Dices hiſtoriјs proelia Caeſaris
Maecenas Melius.

Telephus & Peleus: ſubiungit exemplum eorum, qui, ex alto fortunae gradu deiecti, humiliter in tragoedia loquentes inducuntur. nec dubito, quin ad Latinas tragoedias, de Telepho, & Peleo, ſpectauerit Horatius: quoniam apud Euripidem non, ut hic oſtenditur, humiliter, ſed ſuperbe Telephum, & Peleum locutos eſſe, ex Ariſtophane cognoſcitur. & in uerbo *Squalidum* Feſtus ex Telepho locum adducit poetae Latini, qui fortaſſe materiam ſumpſerat a Telepho, Euripidis fabula, quam, & Peleum alteram nominat Stobaeus. Ariſtoteles quoque Peleum tragoediam inter moratas refert. Peleum, Achillis patrem, & Telephum Herculis, ab Achille uulneratum, eiuſdemque haſta oraculi monitu ſanatum, ignorant pauci.

- exſul uterque: regno eiecti.

- ampullas: tumida uerba dimittit. ampullae enim tumido uentre uaſa ſunt.

- ſeſquipedalia: longa, ſiue ſimplicia, ſiue iuncta: quo

genere tragoedia delectatur.

- tetigisse querella: cum suas uterque fortunas luget. si quis autem elicere misericordiam uult, recedat a magniloquentia tragicorum, & comico potius sermone, qui multo humilior est, utatur. exemplo Telephi, & Pelei, quos in paupertate, & exsilio demisse potius, quam elate, loqui decebat, probat id, quod dixerat: *Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.*

-pulchra: ornata, poeticis coloribus insignia.

- dulcia: uerbis in animum influentibus, eumq. afficientibus uel uoluptate, uel dolore: quod sequenti uersu declaratur.

-flentibus adsunt: simul flent. absentes enim tangi, & moueri fletu non possunt.

-si uis me flere: & idem praecipit Aristoteles in Arte poetica, his uerbis: Πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως, οἱ ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσι: καὶ χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος: καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος, ἀληθινώτατα. διὸ εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ: τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί. quod Cicero quoque monuit.

- male si mandata loqueris: si discedes a decoro: si poeta histrionem, Telephi, uel Pelei personam sustinentem, non faciet ea loqui, quae pauperem utrumque, atque exsulem, deceant.

- dormitabo: quod ijs non accidit, qui fabulam cum uoluptate spectant.

- ridebo: quod Telephus, aut Peleus mandata male loquantur, idest non ea dicat histrio, quae Telephi, uel Pelei personam decent.

- tristia maestum Vultum uerba decent: si quis enim in scena maesto uultu, qualem pauperis, & exsulis esse oportuit, non loquatur tristia; aut dormitabunt spectatores, aut ridebunt.

Format enim natura prius &c. natura comparatum est, ut angamur aduersis rebus, laetemur secundis; mox intimós

mos animi motus indicet ſermo. non igitur angi putabimus, aut laetari, ſi cuius uerba ſuſceptae perſonae non reſpondebunt. Praeclare Cicero lib. III. de Orat. *Omnis*, ait, *animi motus ſuum quendam a natura habet uultum, & ſonum, & geſtum: totumque corpus hominis, & eius omnis uultus, omnesq. uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi quoque ſunt pulſae.*

Romani equites: quibus quattuordecim gradus in theatro, unde ſcenicos ludos ſpectarent, Roſcia lex aſſignauerat.

-pedites: plebs, tertius erat ordo ſenatorius: ſed huic tribuere cachinnum, Horatius indecorum putauit; cum prae ſertim ipſe decori praecepta traderet.

HORATIVS

INTERERIT *multum, Dauus ne loquatur, an heros;*
Maturus ne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus; an matrona potens, an ſedula nutrix;
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.
Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Iura neget ſibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaque: flebilis Ino:
Perfidus Ixion: Io uaga: triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenae committis; & audes
Perſonam formare nouam; ſeruetur ad imum,
Qualis ab incepto proceſſerit: & ſibi conſtet.

EXPLANATIO

-DAVVS: ſeruus, qui loqui ſolitus eſt in. comoedia: itaque poeta debet, quem loquentem inducat, animaduertere.

-*heros*: tragica perſona. quantum igitur inter ſeruum, & heroem, tantum inter utriuſque ſermonem interſit.

Aut famam ſequere: ſi quis notam fabulam uerſibus agendam, ac repraeſentandam ſumit, ſcribat ea, quae fama loquitur. nam iracundus, inexorabiliſque Achilles, Medea ferox, flebilis Ino, perfidus Ixion, Io uaga, triſtis Oreſtes, fuiſſe fertur. ſin autem fingit; ſuum cuique perſonae tribuat, ut Dauus ſeruiliter, heros heroice, ceteriq. pro fortuna, aut aetate quiſque ſua loquatur. itaque reprehendit Ariſtoteles poetam neſcio quem, qui lamentantem in Scylla Vlyſſem induxerat. Hoc igitur pertinet ad inſtitutum: ut autem in eo, quod inſtituit, quiſque perſeueret, monet infra his uerſibus poeta:

Si quid inexpertum ſcenae committis; & audes
Perſonam formare nouam; ſeruetur ad imum,
Qualis ab incepto proceſſerit: & ſibi conſtet.

-*reponis*: exemplum eius praecepti, *Famam ſequere*. *Reponere* autem eſt, notam fabulam, & ab alijs actam, renouare.

Impiger: in pugna.

-*iracundus*: ob ereptam ab Agamemnone Briſeidem.

-*inexorabilis*: miſſis enim ad eum legatis, ac muneribus, ut caeſis ab Hectore Danais opem ferret, numquam eum Agamemnon exorare potuit.

-*acer*: qui omnia in armis poneret, iura, tanquam alijs, non ſibi nata, contemneret: negat enim apud Homerum, uelle ſe Agamemnoni, ſummo Graecarum copiarum duci, parere; quandoquidem ſibi, quam Graeci ob res geſtas munus dederant, Briſeidem eripuerit.

-*ferox, inuictaque*: cuius animum ira incenſum, ne fi-

liorum

liorum quidem caritas lenire potuerit: quos, ut mariti sui Iasonis iniuriam ulcisceretur, qui illam repudiauerat, Creusamque uxorem duxerat, Iasone spectante interfecit: Creusam quoque, cum eius patre Creonte rege, incendio consumpsit. Ouidius lib. VII. Met.

Ino: quae se cum filio in mare praecipitauit, a Graecis Leucothea, Matuta a nostris uocata. Ouidius lib. IV. Met. & Cicero Tusc. I.

Perfidus Ixion: quod a Ioue adhibitus deorum conuiuio, Iunonem de stupro interpellauerit, ex quo eum apud inferos perpetuo rotae motu circumuolui poetae fingunt.

Io uaga: postquam a Ioue amatore, ne a Iunone superueniente agnosceretur, in uaccam est conuersa. Ouidius lib. I. Met.

tristis Orestes: cum agitatur furijs ob interfectam a se matrem, quae patrem Agamemnonem cum adultero Aegistho necauerat. Virgilius Aen. lib. III. *Scelerum furijs agitatus Orestes.*

Si quid inexpertum scenae committis: Duas illo uersu res complexus est, *Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.* Primam absoluit, ut scriptor is, qui uersatur in communi argumento, famam sequatur, & Achillem, Medeam, alios, quales fuisse dicuntur, tales inducat: alteram, ut, cum fingit, decori perpetuitatem retineat, nunc aggreditur. non enim praecipue illud satis erat, ut scriptor sibi conuenientia fingat, sed hoc necessario addendum fuit, ut decori perpetuitatem seruaret, idest, ut a prima tabulae parte ad extremam cum suscepta persona, congrueret histrionis imitatio. Aristoteles, quod ad mores attinet, quattuor in tragoedia requirit, quorum extremum est τὸ ὁμαλόν, aequale: & in eo reprehendit Euripidem in Iphigenia tragoedia in Aulide.

HORATIVS

DIFFICILE *est proprie communia dicere: tuq.*
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictaque primus.
Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa uilem, patulumq. moraberis orbem:
Nec uerbum uerbo curabis reddere, fidus
Interpres: nec desilies imitator in artum:
Unde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto foret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi musa uirum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat: & in medias res
Non secus, ac notas, auditorem rapit: & quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit:
Atque ita mentitur: sic ueris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

EX-

EXPLANATIO

-PROPRIE *communia dicere: Communia,* quidam putarunt esse, non dicta, quae pateant omnibus, unde argumentum cuiuis liceat capere. Ego *Communia* uoco, quae iam inuenta communicari omnibus possunt: quam Horatius paullo post publicam materiam appellauit. est enim certe commune potius, quod ab alijs inuentum imitari omnes possunt, quam quod inuentum a nemine fingi a nobis ipsis necesse est. quid igitur doctos uiros in errorem induxit? opinati sunt, duos sequentes uersus, non ut diuersum aliquid significent, uerum ut proximam sententiam confirment, esse prolatos. quod si ita esset, recte uerbum, *Communi,* interpretarentur. sed ego aliter sentio, primum ipsius uerbi proprietate adductus, cum *Communia* uideantur nota potius, & dicta, quam ignota, & indicta: deinde, quod absurdum prorsus esset, si difficultatem hic nouae materiae cum ingenij laude in scenam deducendae proponeret Horatius, deinde praecepta subiungeret, quae non ad nouam, sed ad cognitam materiam pertinent. nam cum subiungit: *Nec uerbum uerbo curabis reddere, fidus*

Interpres: nec desilies imitator in artum: quis non intelligit, uiam, & rationem ostendi, qua posset aliquis, cum de Graeco fabulam uertit, aut cum imitatur, in materia nota propriam sibi laudem comparare? Non igitur notae tantum materiae, sed notae primum, deinde etiam ignotae difficultatem tribus uersibus ostendit Horatius. Difficile est, inquit, in communi materia propriam laudem consequi, ut si quis Aiacem, aut Oedipum tragoediam scriberet, quae communis, & publica materia est, aliorum uersibus iam cognita, & peruulgata: difficilius tamen, si primus ignota, indictaq. proferre uelis. quis enim non facilius, ac rectius, argumento ex Iliade Homeri sumpto, tragoediam scribat, quam si nihil ab alijs mutuetur, ipse fingat omnia?

-*tuq.*

-tuq. Rectius &c. & difficile, inquit, eſt proprie communia dicere; & rectius tamen ex Iliaco carmine tragoediam facies, quam ſi materia tua ſit, non communis. Deinde oſtendit, quo modo liceat, proprie communia dicere. & quoniam, qui uerſatur in communi materia, uel conuertit Graeca, uel imitatur: propterea, quid is in utroque uitare debeat, admonetur.

Nec circa uilem, patulumq. moraberis orbem: qui conuertit, uel in materia peccare poteſt, uel in uerbis: in materia, ſi delectum rerum non habeat, ſed omnia ſumat, etiam quae uilia ſunt, ſatiſq. per ſe patent: in uerbis, ſi uerbum pro uerbo ſtudeat reddere. Vtrumque cauendum Horatius monet: quoniam eſt in utroque ſtulta, & inepta diligentia. *Vilem orbem, patulumq.* dixit, pro minima apertaq. re: nam in magnis, abditisque rebus immorari laudabile eſt. *Orbem patulum* alij putant hic eſſe totam materiam uſque ad finem ab alio ſumptam: ego materiae uiliorem partem, quae tractata non delectet. nam, quae patent, uilia ſunt. nec uero quaecumque epici poetae, nec quae Homerus ipſe in Iliade narrauit, omnia ſunt in ſcenam deducenda, ſed illuſtria quaeque, omiſſis ijs, quae uilia, ſatiſq. nota ſunt. *Orbem* igitur dixit, de eorum inſtituto, qui nihil omnino praetermittere, ſed, quaſi circumeundo, ſingula uel minima, ac manifeſta perſequi, complectiq. uellent. Contra Homerus, ut ſequitur paullo poſt,

quae, deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

Nec uerbum uerbo curabis reddere, fidus

Interpres: Ne totidem uerbis conuertas, ut fidus interpres habearis. non enim ſemper Graecae linguae uerbis Latina uerba reſpondent. Horatij praeceptum Cicero confirmat. nam, cum duas Aeſchinis, & Demoſthenis inter ſe contrarias orationes conuertiſſet; *Non conuerti*, inquit, *ut interpres, ſed ut orator, ſententijs ijſdem, & earum formis tamquam figuris, uerbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus*

bus non uerbum pro uerbo necesse habui reddere, sed genus omnium uerborum, uimq. seruaui. non enim ea me annumerare lectori putaui oportere, sed tamquam appendere. Et idem infra: *Quorum ego orationes si, ut spero, expressero, uirtutibus illorum omnibus, idest sententijs, & earum figuris, & rerum ordine, uerba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro; quae si e Graecis omnia conuersa non erunt, tamen, ut generis eiusdem sint, elaborauimus: erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice uolunt dicere.* Docet igitur Cicero, duo esse conuertendi genera: unum, quo interpres; alterum, quo utitur orator: & interpretem uerba persequi omnia, oratorem eatenus, ut a Romana lingua non abhorreant. quod igitur orator, idem poeta faciet in conuertendo. De finibus quoque lib. 3. *Nec tamen*, inquit, *exprimi uerbum e uerbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent; cum sit uerbum, quod idem declaret, magis, minus ue usitatum. equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus uerbis exponere.*

- Nec desilies imitator in artum,

Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex: Video esse, quibus idem uideatur, conuertere, & imitari. quod mihi uidetur secus. quaedam enim ex Homero Virgilius conuertit, quaedam imitatur: & conuersio propius ad propositae rei similitudinem accedit, quam imitatio. Praecipit Horatius, ne quis eius imitationem rei aggrediatur, in qua progredi, & ad finem peruenire difficultas non sinat; regredi autem; & institutum omittere non modo pudor, uerũ etiam operis lex, quae iubet id, quod incepimus, absolui.

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim: Tumida principia uitanda. praestat enim ab humili principio quasi per gradus ad summas res adscendere, quod fecit Homerus in Odyssea, quam, quod poeta Cyclicus, a summo ad humilia demitti.

-*scriptor Cyclicus:* poeta ille, qui omnia, ſuum poema cantaturus, obibat fora: unde *Cyclicus*, id eſt, circumforaneus uocatur. Antimachum non nulli putant: ſed eum tam inepte orſum eſſe, uix putabit, qui clarum poetam a Cicerone in Bruto appellatum, & a Platone, ceteris diſcedentibus, auditum, cognouerit. quamquam & Catullus eum *Tumidum* dixit. *At populus tumido gaudeat Antimacho.* & Plutarchus in Timoleone eius poemata elaborata fuiſſe oſtendit. Vt referri poſſe, utriuſque teſtimonio, ad Antimachum uideatur, quod Horatius in Cyclico poeta reprehēdit.

Dic mihi muſa uirum, &c initium Odyſſeae, duobus uerſibus ab Horatio conuerſum, cum tres fecerit Homerus. omittendum enim Horatius, ut minus neceſſarium, illud putauit, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη.

Non fumum ex fulgore: Fumum ex fulgore dat Cyclicus poeta, qui, primis duobus uerſibus magna profeſſus, digna tanto principio reliqua non ſubiungit: fulgorem autem ex fumo Homerus, qui modeſte orſus, miranda mox commemorat, ut de Laeſtrigonibus, humana carne ueſcentibus, quorum rex Antiphates, de Cyclope Polyphemo, de ſcopulo Scylla, de immani uoragine Siculi freti Charybdi. quae Vlyſſes, omnibus infeſta, & exitioſa, ingenij tamen, conſilijq. praeſtantia ſuperauit.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri: Non hoc dicit, quia Homerus de Diomedis ab euerſa Troia reditu ſcripſerit; ſed ut eum oſtendat nihil tale facturum fuiſſe, quale eſſet, ordiri Diomedis reditum ab eius patrui Meleagri interitu, principio nimis longe petito. Duo ſunt igitur de poematum principijs Horatij praecepta, unum, ne tumida ſint, quale illud Cyclici ſcriptoris, *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum:* alterum, ne longe petita, ut ſi quis reditum Diomedis ab interitu Meleagri, aut bellum Troianum, cuius cauſſa fuit Helena a Paride abrepta, a duobus ordiretur ouis, quae Leda ex Ioue in Cygnum mutato peperit,

perit, quorum ex altero Castorem, & Pollucem immortales, ex altero Helenam, & Clytemnestram natos esse poetae fabulantur. De Meleagri autem interitu Ouidius lib. iix. Met.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo: Vnico uerbo, *Orditur*, duas res comprehendit, reditum Diomedis, & bellum Troianum: nec tamen de utraque re Homerus, sed de posteriore tantum, scripsit.

Semper ad euentum festinat: omissis caussis, ad euenta rerum festinat: caussae autem & proximae sunt, ut Helenae raptus; & remotae, ut geminum ouum. nam, nisi oua illo Ledae partu edita essent, Helena nata non esset. ita bellum Troianis ob Helenam non intulissent.

Semper: non solum in principio, sed in toto poemate.

Non secus, ac notas: res cognoscuntur ex caussis: Homerus autem, quasi res per se notae sint, caussas relinquit. Incipit enim Iliadem ab Achillis ira: quasi de Graecorum profectione ad Troiam ob Helenae raptum, & de annis nouem in eo bello iam transactis, ignoret nemo.

Desperat tractata nitescere posse, dixit iam,

Nec circa uilem, patulumq. moraberis orbem.

Atque ita mentitur, sic uerbis falsa remiscet: mentitur poeta, sed mendacio tamen ueritatem imitatur: scribit enim uerisimilia. nisi si uelit, nimio uariandae rei studio, delphinum siluis appingere, fluctibus aprum: de quo uitio supra dictum est.

ueris falsa: miscere ueris falsa, non modo poetae licet, uerum etiam, si poeta esse uelit, necesse est. nam, si uera tantum scriberet, historicus esset, non poeta. ideo sunt, qui Lucanum, qui Romanam historiam uersibus exposuit, poetarum numero excludant. Aristoteles etiam, qui non imitetur, ac fingat, poetam esse negat: ideo non esse locum Empedocli inter poetas, quia res naturales carmine persecutus est. qua ratione Lucretius in ordinem poetarum

recipiendus non uidetur.

- remiſcet: non uno, ſed pluribus locis.

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum: notat Homeri ſummum, ac ſingulare ingenium; qui, cum ueris admiſceat falſa, diſſimilis tamen nuſquam ſit: uel quod aſſequatur ingenio, ut falſa non diſcrepent a ueris; uel quod in omnibus argumenti partibus decorum conſeruet, ut cum ſapientem Neſtorem, Vlyſſem aſtutum, audacem Diomedem, iracundum, inexorabilem, acrem Achillem, fortem Aiacem fingit. neque ſolum hominibus, ſed rebus etiam, quod cuique debetur, id attribuit.

HORATIVS

Tv, *quid ego, & populus mecum deſideret, audi.*
Si plauſoris eges aulaea manentis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores;
Mobilibusq. decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui uoces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum; geſtit paribus colludere; & iram
Colligit, ac ponit temere; & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudijs aetas, animusq. uirilis
Quaerit opes, & amicitias, inſeruit honori;
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

Multa

Multa senem circumueniunt incommoda; uel quod
Quaerit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide, gelideq. ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq. futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorq. minorum.
Multa ferunt anni uenientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. ne forte seniles
Mandentur iuueni partes, pueroq. uiriles:
Semper in adiunctis, aeuoq. morabimur aptis.

EXPLANATIO

TV, *quid ego, & populus mecum desideret, audi:* Si mihi uis, ac populo tua poemata probari; quid uelimus, cognosce.

Si plausoris eges aulaea manentis, & usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores;
Mobilibusq. decor naturis dandus, & annis: Qui suis comoedjs, aut tragoedijs plausum quaerit usque ad fabulae finem, suos cuique aetati mores, & naturis decorum tribuat.

Si plausoris eges: qui eget, is cupit, & quaerit. si plausum, inquit, dari a populo cupis. nam plausus approbantis est, sibilum respuentis.

aulaea manentis: qui libenter spectet ad exitum fabulae: quod sequentibus uerbis explanatur. Aulaea tollebantur confecta fabula: de quo sic Cicero in oratione pro Coelio: *Mimi ergo est iam exitus, non fabulae: in quo cum clausula non inuenitur, fugit aliquis a manibus, deinde scabella concrepant, aulaeum tollitur.* De aulaeis Donatus

natus hoc modo: *Aulaea in scena, in terra sternuntur. qui pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam usque perlatus: pro quibus siparia posterior aetas accepit.*

Sessuri: sedebant, ut dixi iam, spectantes in orchestra, plebs quidem in superioribus, equites in inferioribus quattuordecim gradibus post legem Rosciam. nam antea cum plebe permixti sedebant senatores in orchestra.

cantor: is, qui ultimus loquitur in fabula: qui uocatur Cantor, quod recitabantur omnia cum tibicine, cantu, motu corporis. In quo illud sciendum, quod lib. VII. Liuius docet. si quis in scena solus ageret, non ipsum cecinisse, sed canticum egisse: ubi uero duo, uel plures loquerentur, quae ille diuerbia uocat, eosdem & egisse, & recitasse. altero enim sermonem excipiente, quiescendi spatium dabatur, ne uocem assiduus labor obtunderet. quod Liuio Andronico cum euenisset, puerum ad canendum ante tibicinem statuit: mox ipse canticum egit aliquanto magis uigente motu.

Plaudite: modo dicebant *Plaudite*, ut in Andria, & Adelphis Trerentij: modo, *Vos ualete, & plaudite*, ut in reliquis eiusdem comoedijs. interdum, *Plausum date*, aut alio modo, ut apud Plautum: Quinctilianus lib. VI. *Tunc est commouendum theatrum, cum uentum est ad ipsum illud, quo ueteres tragoediae, comoediaeq. clauduntur, Plaudite.* Fortasse de ueteribus Latinis tragoedijs Quinctilianus locutus est: nam Graecae, quae exstant, Aeschyli, Euripidis, Sophoclis, quos tragicorum antiquissimos fuisse exstat, hoc uerbo, *Plaudite*, non clauduntur, ac ne Latinae quidem, a Seneca scriptae.

Mobilibus: ut enim fluit aetas, ita naturae mouentur, ac mutantur.

decor: id quod decet, decorum. Deinde quattuor aetatum & mores, & naturas subiunxit; ut in ijs poeta ne quid erret.

puer: puerum uocat a prima aetate usque ad illud tem

pus,

pus, quo paedagogus dimittebatur: qui erat annus XVII. tunc enim togam uirilem ſumebant.

Cereus in uitium flecti: ita flexibilis ad uitium, ut, quocumque uelis, flectitur, & fingitur cera.

-ſublimis: adoleſcentulorum hic mos eſt, ut ſublimes efferantur, quia conſpici, & magnifieri uelint.

-cupidus: & facile cupiunt, &, quod cupiuerunt aſſecuti, ſtatim contemnunt.

-miniſtrat: exſequitur.

-ſpe longus: longa ſpe ducitur: & ideo differt, quia ſperat agendi tempus ſibi non defuturum: cum tamen ei diuturnam ſpem aetas morti propinqua non concedat.

Semper in adiunctis, aeuoq. morabimur aptis: puero, iuueni, uiro, ſeni dabimus eas partes, quae cuiuſque aetati adiunctae, atque aptae uidebuntur.

HORATIVS.

AVT agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quae
Ipſe ſibi tradit ſpectator. non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam; multaq. tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praeſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in auem Progne uertatur; Cadmus in anguem.
Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Ne ue minor, neu ſit quincto productior actu
Fabula, quae poſci uult, & ſpectata reponi.

EX-

EXPLANATIO

AVT *agitur res in ſcenis, aut acta refertur*: Quid cuique conueniat aetati, iam oſtendit: nunc, in ſcena quae ſint agenda, quae ue dicenda tantum, non etiam agenda, aggreditur docere.

- acta refertur: non enim filios Medea trucidat in ſcena, ſed aliquis id ab ea factum exponit: quaeque ſunt huius generis, ab oculis poeta remouet.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem: minus animos commouent, quae audiuntur, quam quae ſpectantur: quaedam tamen ſubijci oculis non oportet.

- et quae

Ipſe ſibi tradit ſpectator: quae ſpectator per ſe cognoſcit, a ſe ipſo tradita, ideſt ab oculis ſuis, non ab aliquo, cognita, qui actam rem referat, ut pueros a Medea trucidatos, & eiuſmodi.

- non tamen intus

Digna geri, promes in ſcenam: quae intus, ideſt procul ab oculis eorum, qui ſpectant, agenda ſunt, ea ne agantur in ſcena.

- facundia praeſens: adſit facundia, non res: ideſt narretur, non agatur. nam, *Praeſens*, dixit, ut rei opponatur non praeſenti, ſed intus actae.

- palam: in ſcena.

- exta: quae patri Thyeſti comedenda apponat.

- Atreus: iratus, & furens ob uxorem, a fratre ſuo Thyeſte uiolatam.

- Progne: Terei, Thracum regis, uxor, Pandionis Athenienſium filia: quam in hirundinem conuerſam eſſe, Ouidius finxit lib. VI. Metam.

- Cadmus: Acron ait Cadmum, quia draconem occidiſſet Marti conſecratum, in anguem eſſe conuerſum.

Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi: quodcumque

que ostendis tale, & sic actum; non credo, quia non uidetur natura pati, ut tale quidquam fiat; & *Odi*, id est, reijcio, & aspernor. nam, *Odi*, ad Medeae quidem, Atreiq. immanitatem referri potest, ad Prognem autem, & Cadmum non potest, quorum conuersio misericordiam potius, quam odium, parit.

-*quae posci uult*: ut iterum agatur. nam nisi, cum acta primum est, actus quinque habuisset, non posceretur a cupido populo.

-*reponi*: in scena: iam spectata iterum oculis subijci.

HORATIVS

NEC *deus intersit, nisi dignus uindice nodus*
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret.
Auctoris partes chorus, officiumq. uirile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & haereat apte.
Ille bonis faueatque, & consilietur amice,
Et regat iratos, & amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensae breuis, ille salubrem
Iustitiam, legesque, & apertis otia portis:
Ille tegat commissa, deosq. precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco uincta, tubaeq.
Aemula, sed tenuis, simplexque, foramine pauco,
Adspirare, & adesse choris erat utilis, atque,
Nondum spissa nimis, complere sedilia flatu:
Quo sane populus numerabilis, utpote paruus,
Et frugi, castusque, uerecundusq. coibat.

Postquam coepit agros extendere uictor, & urbem
Latior amplecti murus, uinoq. diurno
Placari Genius festis impune diebus:
Accessit numerisq. modisq. licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberq. laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq. uagus per pulpita uestem.
Sic etiam fidibus uoces creuere seueris;
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps;
Vtiliumq. sagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

EXPLANATIO

NEC *deus intersit, nisi dignus uindice nodus Inciderit*: - nec deus in scenam inducatur, nisi difficultas inciderit eiusmodi, ut ope diuina indigeat. *Vindex* enim est, qui liberat, & a difficili re, quasi nodo soluto, uindicat. Aristoteles locum machinae, id est deo, qui machina in scenam caelo demitti uidebatur, concedit in ijs tantum rebus, quae sunt extra fabulam, uel praeteritae, uel futurae, quas ut homo sciat, fieri non potest. Cicero lib. I. de nat. de. *Vt tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum*. Et Polybius etiam lib. III.

- nec quarta loqui persona laboret. eodem congressu. potest, inquit, interuenire quarta persona: sed parum loquatur. id enim significat, *Loqui non laboret*. quod a Sophocle obseruatum. nam in comoedia saepe non quarta solum, sed & quincta persona, licet paucis uerbis, loquitur. Pertinere autem uidentur haec Horatij praecepta ad tragoediam, non ad comoediam: cum sequatur illud, *Auctoris*

partes chorus, officiumq. uirile Defendat: quod ad comoediam, quae choris caret, referri non potest.

Auctoris partes chorus, officiumq. uirile

Defendat: Auctor is est, a quo fabulae argumentum nascitur, ut apud Sophoclem Aiax, Electra, Oedipus, apud Euripidem Hecuba, Orestes. fabulae enim caussa, & quasi fons est. chorus autem uel ex populo, uel ex eius familia, qui fabulae auctor est, constat. debet igitur sui principis uel populus, uel familia partes defendere, eiq. fauere, in calamitate misereri, opem a Deo poscere; & simul iustitiam, ac leges tueri; quod uirile officium, quasi uiro dignum, Horatius uocat. Chorus apud Graecos non in scena, sed in orchestra canebat. quod Vitruuius lib. v. cap. 6. & 8. clarissime, nec obscure Aristoteles demonstrat in Arte poetica, cum actionem chori diuidit in tres partes, primam πάροδον, alteram στάσιμον, tertiam κόμμον. nam, cum de tertia subiungit, θρῆνος κοινὸς χορῷ, καὶ ἀπὸ σκηνῆς, non esse chorum in scena significat. Apud Romanos autem, ut ex iisdem Vitruuij locis colligitur, chorus, & omnes artifices agebant in scena. orchestra uero dicebatur locus prope scenam, in quo erant sedilia senatorum. mansit enim Graecum nomen de loco scenae proximo, licet saltatio in scenam translata esset.

- neu quid medios intercinat actus,

Quod non proposito conducat, & haereat apte: *Intercinere*, non canere, chorus dicitur: quia distinguit actus fabulae: cum necessariam fabulae personam non sustineat, sed ad relaxandos spectatorum animos inducatur. quod cum ita sit, nihil tamen ab argumento seiunctum debet intercinere, sed uirile officium tueri: quod quale sit, sequentes uersus ostendunt.

Ille bonis faueatque, & consilietur amice: Potest quaeri, utrum e buxo, an e canna factae tibiae sint. Ouidius lib. vi. Fast. & Seneca in Agmemnone de buxo consentiunt: Plinius autem, primum ex arundine omnes, deinde sacri-

ficas e buxo, ludicras e loto, & ossibus asininis, argentoq. factas, lib. xvi. cap. 36. perspicue demonstrat. itaque distingui fortasse ita licet. ut sacrificiorum caussa e buxo semper fuerint, ad ludicras autem res primum ex arundine, deinde e loto, & ossibus asininis, & argento. sic ego mihi uideor ex Plinij uerbis posse conijcere. nam, quod Seneca dixerit, *Tibi multifora tibia buxo sollemne canit:* sacrificam potius, quam ludicram, tibiam significauit; cum in eo loco Iunonem chorus alloquatur. haec omnia fieri a choro, qui Euripidis, & Sophoclis tragoedias accurate legerit, animaduertet.

-*apertis otia portis:* pacem: quia clauduntur in bello urbium portae.

Tibia non, ut nunc, orichalco uincta, tubaeq.

Aemula: Vetus tibia rebus quattuor ab ea, quae postea inducta est, differebat, quod orichalco uincta non erat, quod tenuis, quod simplex, quod paucis foraminibus.

-*orichalco:* notum aes, aurei coloris. quod in tibia perpetuum non fuit. sed pro eo successit argentum. sic enim de more suorum temporum Plinius testatur.

-*uincta:* alij duo signa coniūcta fuisse existimant, ut maior esset tibia, eaq. orichalco deuincta. alij, *Vincta*, accipiunt, pro, tecta: quod placet.

-*tubaeq. Aemula:* uel quod tuba ornaretur orichalcho; uel quod maiorem ederet sonum; uel ob utramque caussam: ut posterior tibia & in orichalcho, & in sono clariore tubam imitaretur.

-*tenuis:* ut tenuem sonum ederet, tenui spiritu in tenuem cauernam recepto.

-*simplex:* non orichalco uincta:

-*foramine pauco:* quattuor ad summum foraminibus. postea, ut sonus uarietate maiore delectaret, plura foramina sunt excogitata. De Tibijs autem satis abunde diximus in eo Commentario, quem ad te, Bartholomaee. Capra,

de

de Tibijs ſcriptum ad Terentium addidimus.

Adſpirare: hoc uerbo tenuem ſonum ueteris tibiae demonſtrauit.

- *adeſſe choris*: hic locus admonet, non affuiſſe tibias in tota tragoedia, ſed in choris tantum. at in comoedia a principio ad finem uidentur affuiſſe. nam de puero ante tibicinem canente, cum Liuius Andronicus motu corporis canti cum ageret, Liuius lib. VII. meminit. niſi ſi & ad uniuerſam tragoediam adhibitae poſtea tibiae ſunt; ut omnia fierent iucundiora: quod his uerbis Cicero in Tuſcul. I. uidetur oſtendere: *Non intelligo, qui metuat, cum tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiam*. Septenarij enim illi iam a Cicerone recitati, a Memnone, Aurorae filio, non a choro, dicti uidentur.

- *erat utilis*: erat utilis adſpirare, & adeſſe choris, hoc efficiebat, hunc uſum praebebat, ut adſpiraret, adeſſetq. choris, ſuoq. flatu ſedilia compleret; non tamen admodum frequenti populo, qui poſtea, prolato pomerio, affuit multo frequentior. complebat autem ſedilia tibiae ſonus, non quia uocari populus ad ſpectandas fabulas tibia ſoleret; ſed quia tibiae ſono, cum fabula coniuncto, caperetur. qua uoluptate in caueam coibat, id eſt in theatrum: ubi ſedilia primum ad tempus exſtructa, deinde, facto Pompeij theatro, marmorea fuerunt. nā in Circo Maximo ludi erant non ſcenici, ſed equeſtres, aut cum certatione corporis: de quo Cicero lib. II. de leg. his uerbis. *Iam ludi publici, cum ſint cauea, circoq. diuiſi, ſint corporum certatione, curſu, et pugillatione, luctatione, curriculisq. equorū uſque ad certam uictoriam circo conſtitutis: cauea, cantu, ac fidibus, & tibijs, dūmodo ea moderata ſint*. Interdum tamen mihi, uerbum, *Vtilis*, atque etiā ſententiam ponderanti, uidetur fortaſſe aptius ita explanari poſſe: in hoc tantum uetus tibia erat utilis, ut adſpiraret, adeſſetq. choris, & ſedilia tantum ipſa compleret, non ut in tota fabula ſonum ederet, eumq. ſonum, qui extra ſedilia exau-

dire-

diretur: quod utrumque habuit posterior tibia.

-*urbem Latior amplecti murus*: de prolato pomerio loquitur. quanquam non semper, aucto pomerio, simul noua moenia latiore ambitu sunt exstructa: sed uetera manserunt, a Seruio rege facta, quae tamen, urbe uehementer aucta, uix iam agnoscebantur aetate Dionysij Halicarnassei, ut ab ipso proditum legimus.

-*uinoq. diurno*: in epistola ad Augustum, piari Genium uino solitum esse, ipse docet:

Tellurem porco, Siluanum lacte piabant,

Floribus, & uino Genium, memorem breuis aeui. Idem confirmat Censorinus in libro de die natali, subscripta caussa, quia caedi hostiam Genio, ut ceteris deis, non liceret: *ut, cum die natali munus annale Genio solueretur, manus a caede, ac sanguine abstinerentur: ne die, qua ipsi lucem accepimus, alijs adimamus. Genius autem est deus, cuius in tutela, ut quisque natus est, uiuit.* Et ibidem de Genio multa scitu digna. *Vino diurno*, dictum alij putant, quod orgia Bacchi noctu celebrarentur. in quo assensum sustineo. fortasse enim, *Vino diurno*, posuit Horatius, pro totius diei potatione.

-*Impune*: uel sine damno rei familiaris, cum opibus abundare ciuitas coepisset; uel, nemine reprehendente; cum id, in magna rerum copia, concedendum uideretur. nam, *Impune*, pro, sine ebrietate, non placet. quis enim, ubi cum hilaritate multi biberent, ebrietatem abfuisse putet? creuisse igitur cum imperio, & urbe uoluptatem poeta significat. nam, Genio fauere, laetitiae, ac uoluptatis est.

Accessit numerisque, modisq. licentia maior: numeris saltationem, modisq. tibiarum concentum significari, eaque in sacris Genij, non nulli putant. Ego *Numeros* pro harmonia, quam uersus facit, nec de Genij sacris, uerum de scenica licentia opinor intelligi. nam illud Ciceronis, Paradoxo IV. *Histrio si paullo se mouit extra numerum, aut si uersus*

pro-

pronunciatus est syllaba una breuior, aut longior, exsibilatur, & exploditur: certi nihil affert, cur *Numerum* pro saltatione potius, quam pro metrica ratione accipiamus: est enim, ut in oratione soluta, sic in uersu, atque etiam haud paullo minor numerus. gestum autem histrionis moderabatur certa quadam lege numerus ille, qui, addito cantu, poetae uerba pedibus dimensa faciebat. ita dixit Cicero, nisi gestus ab histrione ad numeri rationem, & quasi metricam quandam legem accommodatur: nisi uersus recitantur iusto syllabarum numero; exsibilatur. Quae est igitur haec licentia, quae metricae harmoniae, tibiarumue concentibus accessit? fortasse, quod plura, quam antea, uersuum genera in fabulam inducta sint. nam & comoediae, & tragoediae, quae hodie exstant, ita uarijs textae sunt uersibus, uix ut eorum iniri explorata ratio possit. tibiarum autem licentia maior in eo fuit, non solum, quod plura foramina receperunt, uerum etiam, quod maiores factae clangorem tubae propemodum imitabantur. nam ex maiore foraminum numero uarietas cantum efficit gratiorem, sonus autem ex maiore tibia maior editur. addo illud, si augetur in numeris licentia, simul in tibijs augeri necesse esse, cum ad histrionis uerba tibiae cantus accommodetur. uerum non de hac tibiarum licentia uidetur Horatius dixisse, sed de illa, quam auctus foraminum numerus, cauernaeque amplitudo attulit: ut posteriorem tibiam priori opponeret, de qua dixerat.

Tenuis, simplexque foramine pauco.

Indoctus quid enim saperet, liberq. laborum,

Rusticus urbano confusus, turpis honesto? Eo facilius aucta licentia est, quod, cum fabulas multi promiscue spectarent, nobiles, & ignobiles, probi, & improbi, pauci legitimos numeros, modosq. cognoscebant.

Sic priscae motumque, & luxuriam addidit arti

Tibicen, traxitq. uagus per pulpita uestem: ita factum est, ut tibicen uarietate cantus augeret motus histrionum, &

priſcae arti luxuriam adderet, id eſt maiorem in uerſu licentiam daret. proxime:

Acceſsit numerisq. modiſq. licentia maior.

Vel, *Priſcae arti*, de tota arte, quae ad fabulas pertineret, dictum putamus. aucto enim tibiarum ſono, & ad maiorem iucunditatem tranſducto, addita ſtatim eſt arti luxuria.

- traxitq. uagus per pulpita ueſtem: non quod ſaltaret maiore motu, quam antea: nam ſaltatio tibicinis non fuit: neque quod crebrius ad fabulas adhiberi coeptus ſit: nam tota longa, quae hic ſignificatur, hiſtrio potius, quam tibicen, utebatur: ſed, *Traxit*, accipio, pro, cauſſam attulit, ut hiſtrio traheret, aucto motu corporis, ſicuti & auctus, & uariatus erat tibiae cantus, ad quem hiſtrio geſtum, & uocem dirigebat.

Sic etiam fidibus uoces creuere ſeueris: auctus eſt fidium numerus. nam primo tres fuiſſe, tum ſeptem, poſtremo decem, traditum eſt. *Seueris*, uocat, quia paucis uerſibus contentae fuerant. nam, uariare uoces aucto fidium numero, grauitatis non fuit.

Et tulit eloquium inſolitum facundia praeceps: praecipitem facundiam appellat, quia celerrime pertulit eloquentiam.

Vtiliumq. ſagax rerum, & diuina futuri

Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis: hoc dicit: ſapientiores Romani facti ſunt, ſic, ut eorum ſententia, utilium rerum ſagax, ita futurum conijceret, ut a Delphico Apollinis oraculo non differret.

Vtilium ſagax rerum: quae res utiles noſſet.

- diuina futuri: ita futura diuinans, ut inter eos, & Delphicas ſortes nihil intereſset.

Sortilegis Delphis: ubi per ſortes euentura deliguntur.

HO-

HORATIVS

CARMINE qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate, iocum tentauit: eo quod
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq. sacris, & potus, & exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniet satyros, ita uertere seria ludo;
Ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum uitat humum, nubes, & inania captet
Effutire leues indigna tragoedia uersus.
Vt festis matrona moueri iussa diebus,
Intererit satyris paullum pudibunda proteruis.

EXPLANATIO

VVLGATAM opinionem, fortasse non ueram, secutus est Horatius: quasi ἀπὸ τοῦ τράγου, καὶ ᾠδῆς dicta sit tragoedia, quod hircus uictoribus tragoedis praemium daretur. Commenticia res, & satis absurda. quis enim, quae fabula non uulgaris industriae, nec minimae artis est, utpote cum regis, aut ducis, aut magni certi uiri personam actor sustineat, in ea praemium putet hircum fuisse propositum? quanto similius ueri est, non τραγῳδίαν, sed τραχῳδίαν a principio uocatam esse, quasi τραχὺν ᾠδὴν, quod esset aspera cantilena, quia res asperas, difficiles, ac tristes cōplecteretur. usus postea nomē hoc, ut multa, corrupit, & pro τραχῳδία τραγῳδία dixit: un-

de commentum de hirco manauit. Nec minus uidetur absurda eorum opinio, qui τρυγῳδίαν appellatam malunt ἀπὸ τῆς τρυγὸς, quod eam agerent *peruncti faecibus ora*, ut infra dixit Horatius. nam fieri potuit omnino, ut iuuenes facie faece illita de plaustris ridicula dicerent: sed ad agendas nobilium uirorum, aut feminarum personas, tantum abest, ut obtegenda faece, ac dissimulanda facies uideatur, ut etiam toto corporis habitu, & uestitu histriones inter se distingui necesse sit. quare uel illud de faece commentum falsum esse, uel ad ridicula dicta, quae de plaustris iactari soli ta essent, non ad tragoediam, quae ridendi materiam nullam habet, pertinere existimemus. Satyri autem, quibus a principio locus in tragoedia non fuit, admisceri coepti sunt, non ut tragoediae pares essent, uerum ut intercinentes io corum illecebris, & dictorum acumine spectatorem detinerent. ex quo deinde argutum poema, hexametro uersu confectum, Satyrae nomen accepit: quale exstat Horatij, Iuuenalis, Persij: nam Lucilij satyrae desiderantur.

– *agrestes satyros nudauit:* nudos in tragoedia satyros induxit, qui saltarent, & acuta dicta dicerent. nam dicacitatem, aut facetias per se tragoedia non habet, quippe cui sit risus inimicus, ut ait Demetrius Phalereus; & in qua nihil, nisi miserabile, ac terrificum, ostendatur, ut Aristoteles dixit in libro de Arte poetica. Idem reiectos a Sophocle primum satyros, ut aliquando suam grauitatem tragoedia reciperet, in eodem libro docet. Receptos autem postea satyros a Latinis in tragoedias uix opinor: sed in comoedias primum inductos a Liuio Andronico, deinde a iuuentute remotos esse, & in Atellanas fabellas aliquanto post demigrasse, uidetur Liuius indicare lib. VII.

– *asper:* tragoedus: ob asperitatem rerum, quae aguntur in tragoedia.

Incolumi grauitate: ita satyros induxit, ne quid tamen de grauitate tragoediae detraheretur, sed in ea semper, ut

ante

ante satyros etiam, miserabilia, ac terrifica agerentur.

-*functusq. sacris, & potus, & exlex:* post operam sacris datam, cibo sumpto, ad spectandas fabulas ibant, cum iam soluti lege uiderentur, & aliquid laetius appeterent.

-*risores:* ridentes satyros, cum risum in alijs excitare cupiunt.

-*commendare:* probare, in tragoediam inducere.

-*dicaces:* dicax breui dicto pungit; facetus est etiam, qui longiore oratione delectat: quod Cicero, & Fabius Demostheni, dicacitatis adepta laude, tribuunt.

-*uertere seria ludo:* pro serijs ioca in tragoedias inducere, ex persona satyrorum, non ut haec tragoediae pars sit, sed ut laetitiae caussa interponatur.

Ne, quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas: aut hoc uidetur dicere: ne tragoediae scriptor satyrum inducat, qui deum, aut heroem modo egerit: ut, *Adhibebitur*, interpretemur, in tragoediam, non in satyros: aut hoc: ne, qui ad agendos satyros adhibebitur, is, si dei, regis ue modo partes egerit, ita mox in satyri persona, risus mouendi gratia, humiliter loquatur, ut ab auro, & purpura in obscuras tabernas migrasse uideatur. Sed mihi prior illa magis arridet opinio: ne omnino satyricam personam ei poeta tribuat, qui paullo ante dei, aut regis partes egerit. absurdum enim, indecorumq. nimis, si uel deus, uel rex ea loqueretur, quae satyrorum agrestium propria sunt.

Aut, dum uitat humum, nubes, & inania captet
Effutire leues indigna tragoedia uersus: Quemadmodum satyri partes deo, uel regi tribuendae non sunt, ne decorum dei, uel regis cum satyri decoro confundatur, atque agat humiliter, qui sublimiter agere & solitus est, & debet: sic contra, non debet ita uersus leues, atque abiectos uitare tragoedia, ut altius, quam deceat, exsurgat, sed in elatio-

ne, & magnificentia modum ſeruet. *nubes enim, & inania captare*, eſt, ſupra modum, ratione praeſcriptum, adſcendere, ut inſanire quodam modo, non magnifica loqui, tragoedia uideatur.

Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus,

Intererit ſatyris paullum pudibunda proteruis: ita ſatyris intererit tragoedia, ut matronae mouentur feſtis diebus. mouentur autem cum pudore, & grauitate, quia prodire in conſpectum populi perquam raro ſolent, utpote quae, rei familiaris cura occupatae, longe ab oculis hominum intra domeſticos parietes uitam ducant. Sic tragoedia, a ſatyris aliena, cum pudore quodam eos recipiet. itaque ijs pudibunda intererit, ut cum pudore mouetur matrona diebus feſtis, neque ſolum pudibunda, ſed etiam paullum intererit, ut inuita: ſicuti nec matrona libenter in publicum egreditur, ſed feſtis tantum diebus, idque iuſſa. utrumque enim ponderandum, quod Horatius poſuit, *Feſtis diebus*, &, *Iuſſa*. *Iuſſa* autem, uel quia iubentur omnes exire feſtis diebus, ut ſacris opera detur; uel quia uirorum iniuſſu matronae non prodeunt. In uerbo igitur, *Paullum*, ſignificauit Horatius minime longum ſatyris in tragoedia ſermonem eſſe dandum; in uerbo, *Pudibunda*, retinendam eſſe propriam tragoediae grauitatem, ne ſcilicet deo, aut regi partes ruſtici, & proterui ſatyri dentur: ſic enim ſuum decorum amittere, & impudentur agere tragoedia uideretur.

HORATIVS

*N*o*n ego inornata, & dominantia nomina ſolum,*
Verbaque, Piſones, ſatyrorum ſcriptor amabo.
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit, Dauus ne loquatur, an audax

Pythias emuncto lucrata Simone talentum;
An custos, famulusq. dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar; ut sibi quiuis
Speret idem; sudet multum, frustraq. laboret
Ausus idem. tantum series, iuncturaque pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

EXPLANATIO

- INORNATA, *& dominantia*: cum agrestes satyri sint, inornate loqui solent, & uerbis uti proprijs, non translatis, quae orationem ornant. *Dominantia* uocat propria, quod in aliqua re significanda quasi certum ius possideant. nam translata non dominantur, sed in alienam sedem, non perpetuo mansura, ornandi magis, quam significandi gratia, migrarunt.

-*satyrorum scriptor:* si satyros in tragoedia loquentes in ducam. hic locus indicat, loqui solitos in tragoedia satyros: qui tamen in Senecae tragoedijs, quae Latinarum solae supersunt, nulli exstant: sed, eos in ueterum poetarum Latinis fabulis fuisse, uerisimile est. nam in Graecis ante Sophoclem fuisse, Aristoteles docet: qui tamen in Aeschyli tragoedijs, quas habemus, non reperiuntur, & apud Euripidem unicus fortasse in Cyclope.

- *tragico colori:* tragicae formae; quam non debemus in satyris imitari: cum humiliores multo satyrorum personae sint. *Colorem* appellauit, quem Graeci χαρακτῆρα.

Vt nihil intersit: Non hoc solum obseruet satyrorum scriptor, ut a tragica forma discrepet, sed etiam ut a comica. non enim Silenus, qui pro satyri persona apte inducetur, ita loqui debet, ut in comoedia seruus Dauus, aut ancilla Pythias. medius intra sublimitatem tragicam, & supra comicam humilitatem satyrorum locus est.

- *Dauus*: a Terentio in Andria adhibitus.

Pythias: non illa Terentiana, cui cum Simone nihil eſt, ſed ab alio poeta comico inducta, cuius fabulam non habemus. Acron ancillam ait deſignari, quae apud Lucilium domino uerba dat, & ab eo accipit argentum. Ego *Dauum* pro quouis comico ſcenico, & *Pythiam* pro quauis ancilla nominatam exiſtimo.

- *audax*: quia dominum deludit.

- *emuncto*: decepto: a quo argentum per aſtutiam Pythias abſtulit: ut in Phormione Terentius: *Emunxi argento ſenem*.

- *talentum*: ſex millia denariorum, ut aeſtimauit Varro apud Plinium lib. xxxv. cap. vi. ideſt, $\overline{xxiv}$ HS. talentum enim Atticum intelligitur, cum ſimplex appellatio eſt.

- *cuſtos, famulusq.* nutricius, & paedagogus.

- *dei alumni*: Bacchi, quem Silenus educauit.

Ex noto fictum carmen ſequatur, ut ſibi quiuis

Speret idem &c. ſi ſatyros, inquit, ſcribam, argumentum de medico ſumam, non reconditum, aut exquiſitum: ex quo ſperabunt omnes eandem laudem; ſed experti non aſſequentur: fingam carmen, quo ſatyri utantur, ex communi, ac peruulgato argumento.

- *ſeries, iuncturaq.* ordo, & collocatio rerum, non uerborum: nam hic de materia ſatyrorum loquitur: quae, licet nota, & uulgaris, a ſerie tamen & iunctura uenuſtatem, leporemque accipit. hanc autem ſeriem, & iuncturam pauci norunt: ideo dixit, *Sudet multum, fruſtraq. laboret, Auſus idem*. qui enim argumentum intuentur, ſe quoque in ſcribendis ſatyris excellere putant poſſe: ubi rem aggrediuntur, fruſtra laborant, ſeriemq. & iuncturam ignorantes, quae tantum ualet, ut rebus de medio ſumptis ornamentum afferat.

HO-

HORATIVS

Silvis *deducti caueant me iudice Fauni,*
Ne, uelut innati triuijs, ac paene forenses,
Aut nimium teneris iuuenentur uersibus umquam,
Aut immunda crepent, ignominiosaq. dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res:
Nec, si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,
Aequis accipiunt animis, donant ue corona.

EXPLANATIO

Silvis *deducti caueant me iudice Fauni,*
Ne, uelut innati triuijs, ac paene forenses,
Aut nimium teneris iuuenentur uersibus umquam,
Aut immunda crepent ignominiosaq. dicta: Aliter alijs, mihi hoc placet, moneri ab Horatio Satyrorum scriptorem, ne sermonem ijs tribuat uel tenerum, id est mollem, suauem, blandum, qualis in triuijs, idest in celeberrimis urbis partibus, ac paene in ipso foro solet esse, uel immundum, & inornatum, & nimis acerbum.

Siluis deducti: agrestes satyros iam appellauit.

Fauni: qui satyram agunt: nam & Satyri, & Fauni, & Sileni inducebantur: quamquam a Satyris nomen caperetur.

triuijs: in quibus non incultus, ut in siluis, hominum sermo est.

paene forenses: ne loquantur, inquit, ut in triuijs nati, paene ut in foro assuefacti, id est, ut oratores, qui in foro caussas agunt sermone quam possunt ornatissimo.

iuuenentur: quasi blandiuntur specioso, mollique sermone, quo iuuenes delectantur.

immunda: nimium rustica, non modo non ornata, ut oratorum, sed etiam immunda, & obscena, quaecq. in quos dicun-

dicuntur ignominiosa sint.

-crepent: non leni, ac placido sono, sed cum crepitu emittant.

Offenduntur: non placent equitibus, senatoribus, diuitibus immunda, & ignominiosa dicta. ingenium enim sine pudore, ac modestia non probant.

-pater: centum senatores ex patricio genere Romulus creauit: patricij autem dicti, quibus pater, esset. post eiectos reges patuit aditus in senatum etiam ijs, qui patricij non essent. hinc Horatius, cum senatores designare uellet, periphrasi est usus, quae ad primos illos, a Romulo institutos, non ad posteriores senatores, qui uel patre orbati eum tamen ordinem adipiscebantur, quadrare poterat.

-& res: hoc non ad equestrem, nec ad senatorium ordinem spectat, quippe sua utrumque periphrasi demonstrauit. diuites autem, qui nec equites, nec senatores essent, significantur. multi enim de plebe opibus abundabant, qui tamen nec senatorij, nec equestris erant ordinis. nam licet eques non esset, qui non CD millia nummum possideret; nec senator, qui non DCCC millia: non ideo tamen sequitur, ut equestrem ordinem obtineret, quicumque CD millibus censeretur, aut senatorium, quicumque DCCC millibus. Diuisit igitur plebem in duo genera, in diuitem, de qua dixit, *Et res*; & inopem, de qua dixit, *Fracti ciceris, & nucis emptor*. diuitem, cum equitibus, & senatoribus sentientem, offendi uerbis immundis, ignominiosisque, inopem delectari dicit: subiungit enim:

Nec, si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,

Aequis accipiunt animis, donant ue corona: Non probāt, inquit, equites, senatores, diuites, nec in poetarum numero reponunt eundem, quem infima plebs, quae gaudet immundis, ignominiosisq. uersibus.

-donant ue corona: poetam non putant.

HO-

HORATIVS

Syllaba *longa, breui subiecta, uocatur Iambus,*
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus;
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
Tardior ut paullo, grauiorque ueniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus, & patiens; non, ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. hic & in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus; & Enni.
In scenam missos magno cum pondere uersus,
Aut operae celeris nimium, curaq. carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quiuis uidet immodulata poemata iudex;
Et data Romanis uenia est indigna poetis.
Iccirco ne uager, scribamque licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem ueniae cautus? uitaui denique culpam;
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna uersate manu, uersate diurna.
At uestri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto:
Legitimumq. sonum digitis callemus, & aure.

EXPLANATIO

SYLLABA *longa, breui subiecta, uocatur Iambus,*

Pes citus: unde etiam &c. cum trimetri a principio constarent e sex iambis, trimetri tamen uocati, quasi trium, non sex pedum: quod bini iambi pro uno pede ponuntur. hoc ideo factum, quia pes citus est.

- *trimetris:* quibus comici, tragicique poetae usi sunt. supra de iambis, *Hunc socci cepere pedem, grandesq. cothurni.*

- *accrescere:* addi. alij, *Accedere*, ex antiquo libro. utrumque placet.

- *iussit:* ipse iambus.

- *iambeis:* qui primum e solis iambis facti sunt.

- *cum senos redderet ictus:* quamuis iambus in trimetro sexies iteratus senos ictus redderet. nam pedes in uersu numerum conficientes, ictu digiti notantur, ac distinguuntur. unde illud infra:

Maiores uestri Plautinos & numeros, &
Laudauere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Legitimumq. sonum digitis callemus, & aure: Quod subiungit, *Primus ad extremum similis sibi:* significat omnes in trimetro iambos fuisse.

Tardior: nam pes citus iambus, tardior, & stabilior spondeus, e duabus longis syllabis constans: ideo numeri spondaici grauitatem habent, quibus ad rapiendos iuuenum impetus Pythagoram usum esse ferunt.

- *in iura paterna:* in suas sedes, quas ipse, tamquam paterno iure, possederat.

Commodus, & patiens: *commodus*, quia locum spondeo concederet; *patiens*, qui societatem diuersi pedis ferret.

cui

cui tamen ſecundam, aut quartam in trimetro ſedem non conceſſit.

-*quarta:* infra oſtendam, in quartam ſedem receptum ſpondeum ab Attio, quem tamen Horatius laudat.

-*ſocialiter:* ut eum in ſecunda, quarta ue ſede ſocium haberet.

-*Atti:* tragici poetae, qui poſt Pacuuium floruit. epiſt. 1. lib. II: & apud Gellium lib. XIII. cap. 2.

Nobilibus: Attij ingenio nobilitatis.

-*apparet rarus:* miror hoc dixiſſe: nam in tribus Attij trimetris, quos recitat Cicero lib. III. de nat. de. non modo ſpondei rari non ſunt, ſed in primo ſpondei tres, iambus unus, in ſecundo tot ſpondei; quot iambi, ideſt tres, in tertio ſpondei duo, iambi duo: quodq. magis miror, in ſecundo uerſu ſpondeum in ſecunda & quarta ſede uideo eſſe, contra Horatij teſtimonium. id ut ita eſſe conſtet, apponam ipſos trimetros:

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quaenam umquam ob mortem Myrtili
Poenis luendis dabitur ſatias ſupplici? Nec uero in alijs eiuſdem poetae trimetris, quos alibi Cicero recitat, rari ſpondei apparent. itaque uidendum eſt, an hoc fortaſſe ſignificauerit Horatius, raros eſſe ſpondeos in trimetris Attij, non cum iambis eorundem trimetrorum comparatos, ſed cum trimetris reliquorum poetarum. Vt hoc dicat: maiores apud Attium ſpondei, quam apud reliquos poetas. quam ſententiam comprobare uidentur ſequentes uerſus.

L. ATTII Tragoediae nominantur; Achilles, a Cicerone in Tuſc. & a Nonio; Aegyſthus, Aeneadae, uel Decius, & Agamemnonidae, a Nonio; Alceſtis, a Priſciano lib. x. Alcmaeon, uel Alcmena, & Alpheſiboea, a Nonio; Amphitruo, a Feſto, & Nonio; Andromacha, a Priſciano lib. x. & Nonio; Andromeda, Antenoridae, a Nonio; Antigona, Armorum iudicium, a Macrobio, & Nonio; Aſtyanax, a

Gellio, & Nonio; Athamas, a Nonio; Atreus, a Cicerone I I I. Off. & I V. Tusc. & Pediano in Pison. & Priscian. V I. & I X. & Nonio; Bacchae, à Festo, Macrobio, Carisio, & Nonio; Brutus, a Cicerone pro Sextio, & I. de Diuinat. & Varrone; Chrysippus, a Festo, & Nonio; Clytemnestra, a Prisciano I X. Donato in Terent. Adelph. & Nonio; Deiphobus, a Prisciano I X. & X. & Nonio; Diomedes, a Festo, & Nonio; Ἐπὶ ναυσὶ μάχη, a Prisciano V I. Carisio I. & Nonio; Erigone, a Nonio; Eriphyle, a Prisciano V I. & Nonio; Eurysace, a Nonio; Hecuba, a Prisciano V I. Hellenes, a Festo; Hercules, a Cic. I I I. de nat. deo. & Prisc. V I I. Iliona, a Nonio; Io, uel Minotaurus, a Festo, Macrobio V I. Prisc. V I. & X. & Carisio I; Medea, a Cicerone I I. de nat. deor. Gellio lib. I V. cap. 17. Prisciano lib. X I I I. & Nonio; Meleager, a Nonio; Menalippa, a Cic. Tusc. I I I. Festo, Varrone, & Nonio; Myrmidone, a Nonio; Neoptolemus, a Festo, Prisciano X I I I. & Nonio; Nyptra, a Nonio; Nyctegersia, a Nonio; Oenomaus, a Festo; & Nonio; Paris, a Nonio; Pelopidae, a Macrobio, & Nonio; Philoctetes, a Cic. I. I I. Tusc. & I I. de Finib. Varrone, Macrobio, Carisio, Nonio, & Appuleio de deo Socratis; Phoenissae, a Prisciano X I I I. & Nonio; Prometheus, a Cic. I I. Tusc. Prisciano X I I I. & Nonio; Telephus, a Prisciano X. & de comicis uersibus, & Nonio; Tereus, a Prisciano V I. & Nonio.

Comoediae

Aedilicia Togata, a Diomede I I I. Conciliatrix, a Gellio & Nonio; Demetrius, Opeolempota, & Στασιασταί, uel Trophaeum, a Nonio: quae forte tragoedia est.

Sotadicorum lib.

a Prisciano X.

Annales

a Festo, Macrobio I. Prisciano I I I. & V I.

Didasca-

Didascalicon, ad Baebium,

a Gellio III. Carisio I. Prisciano VI. & Nonio.

Parerga,

a Nonio.

Pragmatica, uel Praxidica,

a Gellio XX. cap. 2. Plinio lib. IIX. X. XIV. XIIX. Plinio maiore, & Nonio.

DE *Attio autem sequuntur ueterum testimonia, e scriptoribus antiquis a me collecta.*

Ouidius:

Ennius arte carens, animosiq. Attius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent.

Persius:

Est nunc, Brysei, quem uenenosus liber Atti;
Sunt, quos Pacuuiusq. & uerrucosa moretur
Antiopa.

Horatius:

aufert
Pacuuius docti famam senis, Attius alti.

Quinctilianus:

Attius, atque Pacuuius, tragoediae scriptores clarissimi, grauitate sententiarum, uerborumq. pondere, & auctoritate personarum. Nitor, & summa in excolendis operibus manus magis uideri potest temporibus, quam ipsis, defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur.

Idem:

Attius, interrogatus, cur caussas non ageret, cum apud eum in tragoediis tanta uis esset optime respondendi: Illic, inquit, ea dicuntur, quae uolo; in foro ea dicuntur, quae minime uelle.

Cicero:

Sed in omni re difficillimum est, formam, quod χαρακτὴρ *Grae*

ce

ce dicitur, exponere optimi: quod aliud alijs uidetur optimum. Ennio delector, ait quispiam; Pacuuio, inquit alius; fac alium Attio: uaria enim sunt iudicia, ut in Graecis, nec facilis expli catio, quae forma maxime excellat.

Idem:

Oratorem genere non diuido: perfectum enim quaero. Vnum est autem genus perfecti: a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius; sed in eodem non sunt pares.

Columella:

An Latinae Musae, non solos adytis suis Attium, & Virgilium recepere, sed eorum & proximis, & procul a se secundis sacras concessere sedes.

Paterculus;

In Attio, circaq. Romana tragoedia est.

Idem:

Clara etiam per idem tempus fuere ingenia, in togatis Afranij, in tragoedijs Pacuuij, atque Attij, usque in Graecorum comparationem ingeniorum euectis.

Tacitus:

Exercetur enim ab oratore etiam poeticus decor, non Attij, aut Pacuuij ueterno inquinatus.

Martialis II.

Attonitusq. legis terrai frugiferai;
Attius & quidquid Pacuuiusq. uomunt.

Acron:

Attius & Ennius legem metri in fabulis minime seruauerunt. nam quosdam uersus longiores habent.

Horatius:

Nil comis tragici muta Lucilius Atti?

Gellius lib. XVII. cap. 21.

Pacuuio iam sene Attius fuit.

Plinius Minor:

Attius scripsit lasciua carmina.

Idem:

Idem:

L. Attiũ poetã notatũ ab auctoribus in Camoenarũ aede, maxima forma, statuã sibi posuisse, cum breuis admodum fuisset.

Valer. Max. lib. IIX. cap. 15, Cic. pro Arch.

D. Brutus Attij amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit.

Valerius Max.

Nisi forte Attio tamen plaudi, & sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto.

Idem:

Attius eisdem aedilibus ait se, & Pacuuium docuisse fabulam, cum ille XXC. *ipse* XXX. *annos natus esset.*

Idem:

Vester etiam D. Brutus M. F. ut ex familiari eius, L. Attio poeta, sum audire solitus, et dicere nõ inculte solebat; et erat, tũ litteris Latinis, tũ etiã Graecis, ut tẽporibus illis, satis eruditus. Quae tribuebat idẽ Attius etiã Q. Maximo, L. Paulli nepoti.

Idem:

Attius poeta Iulio Caesari in collegium poetarum uenienti numquam assurrexit, non maiestatis eius immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse consideret.

Euseb. siue Hieronymus:

Olympiade CLX: *An.* II. *Ptolemaei Euergetis anno* VI. *L. Attius tragoediarum scriptor clarus habetur: natus Mancino & Serrano coss. parentibus libertinis, & seni iam Pacuuio Tarenti sua scripta recitauit. A quo fundus Attianus iuxta Pisaurũ dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex urbe deductus.*

Haec autem hoc loco ideo collegi, ut ostenderẽ, olim me de Poetarum fragmentis edendis cogitasse. Quod cum alij inteuerterint, ne tamen uigiliae meae pereant, quaecumque eae sint, (cum tamen locupletiores multo, quam alias, esse dignoscam) edentur aliquando.

Enni:

- *Enni*: qui & ipſe tragoedias multas conſcripſit, ut Varronis, Feſti, aliorumq. teſtimonio cognoſcitur. Sic autem coniungo: quod mihi uideor ex Acronis uerbis poſſe conijcere, & quod ipſa poſtulat ſententia.

- *& Enni*

In ſcenam miſſos magno cum pondere uerſus,

Aut operae celeris nimium, curaq. carentis,

Aut ignoratae premit artis crimine turpi. Spondeus Ennij uerſus, in ſcenam magno cum pondere miſſos, premit crimine uel operae nimium celeris, uel artis ignoratae. Anteponit Horatius Attium Ennio in tragoedijs, quod Attius raris ſpondeis, Ennius autem grauiores, ut uideantur, uerſus, crebris utitur. quo fit, ut uel negligentiae, uel inſcitiae culpa in eum conferatur.

- *magno cum pondere*; habet enim ut dixi, ſpondeus grauitatem: quod proxime demonſtratum.

- *operae celeris nimium*: quod uerſus praepropere, & ſine ſtudio fecerit. debuit enim tribus tantum ſedibus ſpondeum collocare, prima, tertia, quincta.

- *premit*: premit ſpondeus uerſus Ennij, id eſt excellere non ſinit; premit autem crebro repetitus.

Non quiuis uidet immodulata poemata iudex: obijcit ipſe, quod obijci putat poſſe. quamquam, inquit, non omnes poematum uitia perſpiciunt; & peccantibus poetis ignoſcitur: tamen iccirco uagari non debeo, & ſcribere ſine ſummo ſtudio, ſed potius opinari, ſiquid peccauero, id omnes homines animaduerſuros.

- *immodulata*: ſine numero; quales Ennij trimetros indicat fuiſſe ob crebritatem ſpondeorum. itaque nec iure laudatos olim Plauti numeros, docet paullo poſt.

Et data Romanis uenia eſt indigna poetis: quo modo uenia datur ijs, quorũ peccata iudex nõ uidet, dixit enim proxime:

- *Non quiuis uidet immodulata poemata iudex*: Accipe ſic: ueniam eſſe datam, ideſt neminem in peccato reprehenſum,

non

non quod ignosceretur peccanti, sed quod iudex peccatum ignoraret.

-Romanis: quorum immodulata magis poemata, quam Graecorum.

-uager: arbitratu meo, arte neglecta.

-an omnes Visuros peccata putem mea? an potius ita scribã, quasi omnes mea peccata uisuri sint; ideoq. summam in scribendo curam adhibeam? non enim scribere licenter debemus, quia non quiuis uideat immodulata poemata iudex; & quia Romanis poetis, parum accurate scribentibus, uenia data sit, quam dari non oportuit; sed potius attente, magnaq. cum industria, quasi iudices in me acutiores, quam in reliquos futuri sint.

tutus, & intra
Spem ueniae cautus? uitaui denique culpam;

Non laudem merui: uidetur significare, quod infra dicit, mediocribus esse poetis non licet. nam, si quis id unum praestet, ut in poemate nihil reprehendendum committat; is uitabit culpam; laudem non assequetur. quocirca, qui utrumque cupit, & uitare culpam & laudem assequi, is diu noctuq. Graecorum poetarum libros euoluat.

-tutus: quia non peccem.

-cautus: ne quid extra spem ueniae committam, sed in minimis tantum labar, in quibus ueniam sperare possim. nam, *Intra spem ueniae*, interpretor, Cum spe ueniae. quod si quis in dubium reuocat, contrarium consideret, *Extra spem ueniae*: quod sine dubio ualet, Sine spe ueniae.

At uestri proaui: rectius, quam, *Nostri*: alloquitur enim Pisones, Calpurniae gentis patriciae antiquissimae. ipse autem Venusinus, libertino patre natus. Et subiungit, eosdem alloquens: *Si modo ego, & uos*.

-numeros: uersus, quorum ita uaria, incertaque mensura, ut inter musicas leges non consistat.

-sales: faceta dicta: quae scurrilia, & inurbana in Plauto

multi putant: quo in numero uidetur & Horatius fuisse.

Legitimum sonum: metricam harmoniam.

digitis, & aure: quia uersus & digitorum ictu, & aure metimur.

HORATIVS

IGNOTVM *tragicae genus inuenisse camoenae*
Dicitur, & plaustris uexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora,
Post hunc personae, pallaeque repertor honestae
Aeschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit, magnumq. loqui, nitiq. cothurno.
Successit uetus his comoedia, non sine multa
Laude: sed in uitium libertas excidit, & uim
Dignam lege regi. lex est accepta: chorusq.
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus, uestigia Graeca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta;
Vel qui praetextas, uel qui docuere togatas.
Nec uirtute foret, claris ue potentius armis,
Quam lingua, Latium: si non offenderet unum
Quemque poetarum limae labor, & mora. uos o
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit; atque
Perfectum decies non castigauit ad unguem.

EX-

EXPLANATIO.

IGNOTVM *tragicae genus inuenisse camoenae*
Dicitur, & plaustris uexisse poemata Thespis: alij tamen non fuisse inuentorem tragoediae Thespim, sed Epigenem Sicyonium existimarunt, Thespim autem secundum post Epigenem fuisse, nonnulli etiam sextumdecimum. Sudas.

-*poemata*: quaeritur, utrum in plaustris etiam acta an uecta solum sint poemata. ego etiam acta existimo. chorus enim tantum loquebatur, posteà scenam exiguam inuenit Aeschylus:

-*peruncti faecibus ora*: Suidas sic: Πρῶτον μὲν, χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ, ἐτραγῴδησεν. εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι. καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν, ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσας.

-*personae*: qua uultum tegerent.

-*pallae*: ad talos demissae uestis.

-*honestae*: est enim species, & honestas in producta ueste.

-*Aeschylus*: a quo duos, qui tragoediam agerent, cum antea solus egisset chorus, inductos in scenam, ait Aristoteles in Arte poetica.

-*modicis instrauit pulpita tignis*: paruam scenam inuenit, quam deinde Sophocles exornauit, ut ex Aristotele colligitur.

-*Et docuit, magnumq. loqui, nitiq. cothurno*: id & Fabius ostendit, his uerbis: *Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis, & grauis, & grandiloquus saepe usque ad uitium*. Dionysius autem Halycarnasseus in eulogijs Graecorum scriptorum de Aeschylo sic: ὁ δ' οὖν Αἴσχυλος πρῶτος καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐχόμενος, καὶ ἠθῶν, καὶ παθῶν πρέπον εἰδώς, καὶ τῇ τροπικῇ, καὶ τῇ κυρίᾳ λέξει διαφερόντως κεκοσμημένος.

-*magnumq. loqui*: ob elatius, & grauius dicendi genus,

quod Sophocles ingenio & arte moderatus est.

nitiq. cothurno: quia nobiliores personas in scenam induxerit. *niti* enim *cothurno*, est grauiter incedere.

Successit uetus his comoedia: in uetere comoedia Eupolis, Cratinus, Aristophanes, in noua Menander floruit. uetus aperte, ac nominatim uitia notabat; noua uerecundior, ac modestior, iucundiore argumento fabulam texuit.

Laude: quia malis ciuibus maledicebat.

in uitium libertas excidit: eo licentiae progressa res est, ut bonis etiam maledicerent. Sat. IV. lib. I.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq. poetae,
Atque alij, quorum comoedia prisca uirorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant: quod ex Aristophanis comoedijs, quae exstant, perspicuum fit. ideo lata lex est, ne quem histriones in scena contumeliose nominarent.

chorusq. Turpiter obticuit: non quia turpe fuerit obticere; legi enim, libertatem nimiam cohibenti, parere decuit: sed ideo turpe silentium, quia ex turpi caussa. praeterea enim consequentibus ostenduntur. Vel, *Turpiter obticuit*, erepta prorsus omni facultate reprehendendi, quo iure sibi laudem quaesierat antequam libertas in uitium excideret.

Nil intentatum nostri liquere poetae: Latini poetae nihil omiserunt. non enim comoedias modo Graecas conuerterunt, sed ex domesticis etiam rebus argumentum ceperunt.

celebrare domestica facta: de comicis, non de epicis poetis hoc dicit: quod sequenti uersu cognoscitur.

praetextas: in qua personae inducebantur illustres: nam praetexta toga Romae magistratus, & reges etiã a Tullo Hostilio utebantur. Asinius in epistola ad Ciceronem: *Ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum posuit*.

do-

docuere: docere fabulam dicebatur, qui in scenam producebant,

togatas: humilioris argumenti, in quibus non magistratus, aut reges, ut in praetextis, sed priuatae condicionis homines inducerentur. toga enim communis omnium Romanorum uestitus. Opposuit Horatius togatas praetextis: licet alibi Togatarum nomine omnes comoedias Latino argumento factas comprehendi, Diomedes auctor sit.

Pompilius sanguis: A Calpo Pompilio, ut ait Plutarchus, Numae regis filio, Pisones originem ducebant.

Perfectum: quod perfectum uideretur, cum non esset.

castigauit ad unguem: summa correctione perpoliuit. translatio a marmorarijs, qui leuitatem in opere quaerunt, eminentiasque ungue ducto deprehendunt. inde dictum, Opus ad unguem perficere. *Castigare* posuit, quasi peccantem corrigere: poetica licentia, solutae orationi fortasse non concedenda.

HORATIVS

INGENIVM misera, quia fortunatius arte
Credit; & excludit sanos Helicone poetas
Democritus; bona pars non ungues ponere curat;
Non barbam: secreta petit loca, balnea uitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenq. poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laeuus,
Qui purgo bilem sub uerni temporis horam.
Non alius faceret meliora poemata. uerum
Nil tanti est, ergo fungar uice cotis; acutum
Reddere quae ferrum ualet, exsors ipsa secandi.

Munus,

Munus, & officium, nil scribens ipse, docebo,
Vnde parentur opes; quid alat, formetq. poetam;
Quid deceat, quid non; quo uirtus, quo ferat error.

EXPLANATIO

INGENIVM *misera &c.* Democritus neminem putabat poetam esse posse sine inflammatione animorum, & sine quodam afflatu quasi furoris, ut lib. II. de Oratore Cicero scriptum reliquit. id nimirum est plus ingenio tribuere, quam arti. quod opinari Democritum, Horatius hic ait. *Misera:* quia seruit obseruationi, & persequi cogitur usque ad fastidium, quae poetis utilia sunt.

-fortunatius: proficit omnino ars, sed in natura, & ingenio plus est.

-sanos: qui non afflentur furore aliquo. insanis igitur Democritus ingenium tribuit. melius Aristoteles, qui distinguit ingeniosos a furiosis: ait enim sic in Arte poetica: Εὐφυὲς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ. τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί εἰσι. ut boni poetae uideantur, furorem simulant, cum nec ungues, nec barbam deponunt, & hominum frequentiam, congressumq. fugiunt.

Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit: Si numquam tondebitur, & instinctus furore illo poetico putetur. Anticyram nauigare dicebatur, qui insaniret: propterea quod in ea insula nascitur helleborum, quo medici ad remouendam insaniam utebantur. caput igitur tribus Anticyris insanabile, quod trium Anticyrarum helleboro sanari non possit. si ualde, inquit, insanierit, poetae pretium, nomenque consequetur: id est, poeta & habebitur, & nominabitur.

-Licino: Acron ait, tonsorem fuisse, quem C. Caesar senatorem fecerit, quia Pompeium ualde odisset. Vnius tonsoris nomen pro quouis posuit, ut Sosios infra pro bibliopolis

polis omnibus. Barbam autem alere post Africanum minorem, non nisi in re tristi, ad significationem doloris, Romani consueuerunt. ideo *barbatulos iuuenes* Cicero in epistola quadam ad Atticum, uocat P. Clodij studiosos, qui lasciuiae caussa barbam contra morem retinerent.

- laeuus: demens, non recte intelligens, qui pharmacis aduentante uere bilem minuam, ne sit aestate molestior: cum ea potius, ut bonus poeta sim, augenda uideatur: quando & bilis nimia furorem affert, & sine furore poeta bonus, ut sensit Demetrius, nemo est. Laeua, idest sinistra, in diuinis rebus bona sunt, ut ostendit Cicero lib. II. de Diuin. in humanis mala, ut hic Horatius, & Virg. in Buc. *Si mens non laeua fuisset.*

Nil tanti est: neque uersus, neque rem ullam tanti facio, ut eam insania uelim emere.

- ergo: quando poeta esse non possum, alios saltem, ut esse possint, praeceptis conabor instruere.

- opes: quas peti uult a Socraticis chartis, id est, a philosophia: nam a Socrate orti sunt Peripatetici, & Academici.

- quid alat, formetq. poetam: alimentum a rebus, formam a uerbis poeta capit.

- quo uirtus, quo ferat error: uirtus ad laudem; ad insaniam error fert.

HORATIVS

Scribendi *recte, sapere, est, & principium, et fons.*
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaq. prouisam rem non inuita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes;

Quod

Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium; quae
Partes in bellum miſſi ducis; ille profecto
Reddere perſonae ſcit conuenientia cuique.
Reſpicere exemplar uitae, morumq. iubebo
Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces.
Interdum ſpecioſa locis, morataque recte
Fabula, nullius ueneris, ſine pondere, & arte,
Valdius oblectat populum, meliusq. moratur,
Quam uerſus inopes rerum, nugaeque canorae.
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Muſa loqui, praeter laudem nullius auaris,
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini: ſi de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe, triens. heus,
Rem poteris ſeruare tuam. redit uncia: quid fit?
Semis. ad haec animos aerugo, & cura peculi,
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo?

EXPLANATIO

SAPERE: quid ſit Sapere, in eo loco oſtenditur, *Qui didicit, patriae quid debeat, & quid amicis.* non enim, *Sapere*, ad doctrinam, multipliceinq. cognitionem, quae hauritur a libris, refero, ſed ad prudentiam quandam, qua diſcimus, ac tenemus, quid patriae debeamus, quid amicis, quaeq. reliqua ſubiungit Horatius. hoc enim ſapere proprie eſt. *Scire* uero, non idem: de quo ſeparatim praecipitur ſequenti uerſu, *Rem tibi Socraticae.*

con-

conscripti: senatoris. huius nominis originem ostendam, ne quis existimet patres conscriptos appellatos esse centum illos senatores, e quibus Romulus senatum constituit. Liuius lib. II. *Quo plus uirium in senatu frequentia etiam ordinis faceret; caedibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus electis, & ad trecentorum summam expleuit. traditumq. inde fertur, ut in senatum uocarentur, qui patres, quiq. conscripti essent. conscriptos uidelicet, in nouum senatum, appellabant, lectos.* Idem confirmat Festus his uerbis: *Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur.* Postea senatores omnes Patres conscripti dicti sunt, ut Ciceronis, & aliorum exempla testantur.

Reddere personae scit conuenientia cuique: decorum significatur: de quo dixerat, *Quid deceat, quid non.*

Respicere exemplar uitae, morumq. iubebo

Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces: de quo poeta scribit, eius uitam, & mores inspiciat. ita loquetur uera, idest ita recte imitabitur, quicumque ille fuerit.

speciosa locis, morataq. recte: Acron hic mihi plane satisfacit: cuius uerba subscribam: *Interdum fabula opportunitate personarum inductarum, & expressione morum, quamuis sit sine arte, sine uenustate, sine grauitate sententiarum, plus placet, quam uersus quidem bene sonantes, sed morum obseruatione carentes. magis possunt delectare res sine ornatu, quam ornata poemata uerbis sine rebus.* Dixit autem, *Interdum*, quia non semper uerbis res populus anteponit. quod si populum quoque res interdum delectant: multo magis eos, qui recte intelligunt.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo

Musa loqui: Ingeniose, & ornate Graeci poetae scripserunt. de quo parum Romani laborant, qui filios ad percipiendam numerorum rationem mittunt, ut rem familiarem

perite tractent.

-praeter laudem nullius auaris: nullius rei cupidis, nihil appetentibus praeter laudem.

-longis rationibus: cum assem in partes plurimas discant diuidere.

-assem: as, aereus nummus fuit, cui libella, nummus argenteus, respondet. primo libralis percussus est, mox duarum unciarum, deinde uncialis, postremo semuncialis factus. Plinius lib. xxxIII. cap. 3.

-in partes centum: diuiditur As in duodecim uncias, sex sextantes, quattuor quadrantes, tres trientes, duo semis. Eiusdem partes sunt; Quincunx, quinque unciae; Septunx, septem; Bes, octo; Dodrans, nouem; Dextans, decem; Deunx, undecim. Ex quibus partibus omnibus oriuntur assis diuisiones multae, ut in unciam, & deuncem; sextantem, & dextantem; quadrantem, & dodrantem; trientem, & bessem; quincuncem, & septuncem. Est etiam assis in ternas partes multiplex diuisio. nam diuiditur, sumpto ab uncia principio, in unciam, sextantem, dodrantem: quarum trium partium coniunctio assem facit: uel in unciã, quadrantem, bessem; uel in unciam, trientem, septuncem; uel in unciam, quincuncem, semis; uel in duas uncias, & dextantem. rursus, a sextante: in sextantem, quadrantem, septuncem: in sextantem, trientem, semis: in sextantem, & quincunces duos: in sextantes duos, & bessem: in quadrantem, trientem, quincuncem: in quadrantes duos, & semis. postremo a triente, in tres trientes. nam, si dicas: triens, uncia, septunx, tres partes assis integri sunt, quia duodecim uncias conficiunt: aut, triens, sextans, semis: aut, triens, quadrans, quincunx: in unam aliquam ex praedictis iam diuisionibus recides. Succurrunt aliae diuisiones assis: sed hae quasi quisquiliae negligantur: neque ego haec attigissem, nisi scirem curiosos esse multos, quibus libeat quaerere, qui possit as in centum partes diduci. quod Horatius dixit,

dixit, ut finito numero infinitum comprehenderet. est enim assis in quamplurimas partes diuisio.

- dicat Filius Albini: Albini, uiri nobilis, filium exempli caussa nominat; assumens magistri personam, Albini filium interrogantis: si de quincunce tollatur uncia, quid remanet? triens. nam quincunx, unciae quinque sunt; triens, quattuor.

-poteras dixisse: pueri uerba respondentis. Si dixisses, remota uncia de quincunce trientem remanere; recte dixisses.

-heus: quasi laudantis est, aut certe admonentis, futurum, ut rem suam hoc scientiae genere integram conseruet. Dicuntur autem haec usque ad illud, *Semis*, non ex Horatij persona, qui hoc totum damnat, sed eius, qui Albini filium interrogat.

-redit uncia: non ea, quae remota erat: nam sic rursus fieret quincunx: sed, *Redit*, id est accedit ad quincuncem. ita fiet semis: quod dimidiũ assis, id est sex unciae sunt.

-adhaec: ex persona Horatij. ut haec inquit, tam uilia, tam Romanis indigna, tam a Graecorum studijs diuersa cognoscuntur.

-aerugo: auaritia, quae consumit animum, ut aerugo ferrum.

-imbuerit: infecerit.

- linenda cedro: bona. nam, *Linenda cedro*, id est, custodienda mala non sunt. illita autem cedro, & cupresso inclusa, non uexantur tineis.

HORATIVS

AVT *prodesse uolunt, aut delectare poetae,*
Aut simul, & iucunda, & idonea dicere uitae.
Quidquid praecipies, esto breuis; ut cito dicta

Percipiant animi dociles, teneantq. fideles:
Omne superuacuum pleno de pectore manat.
Ficta uoluptatis caussa, sint proxima ueris:
Nec quodcumque uolet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransae lamiae uiuum puerum extrahat aluo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis:
Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq. monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic & mare transit;
Et longum noto scriptori prorogat aeuum.

EXPLANATIO

AVT *prodesse uolunt, aut delectare poetae*: non hoc, quasi Horatij praeceptum, accipio, ut sit, *Volunt*, pro debent. nam ita diceret pugnantia. qui enim probet hic poetam, qui prosit, aut qui delectet, cum infra utrumque simul postulet? subiungit enim:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq. monendo: & sane, si tantum proderit poeta, non delectabit iuuenes; si tantum delectabit, senioribus non probabitur.

Nec quodcumque uolet: non est aliud praeceptum, sed ratio proximi superioris.

- lamiae: stryges. ne scribat poeta, quae credenda non sint, ut de puero a lamia deuorato, moxque eiusdem ex utero extracto.

centuriae seniorum: pro, seniores. populus Romanus in classes distributus suffragium ferebat centuriatis comitijs. classes autem singulae constabant e centurijs seniorum, & iuniorum.

iuniorum. Liuius, Dionysius, alij.

agitant: damnant, reprehendunt.

expertia frugis: quae fructum non afferunt, quae tantum delectant.

Celsi Rhamnes: iuuenes Romani. nam Rhamnes, uel Rhamnenses, una ex tribus tribubus Romae fuit, a Romulo dicta; ut Tatienses, a Tatio, Sabinorum rege; Luceres, a Lucumone Etrusco.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci: qui prodest, & delectat, omnibus aeque placet, ac probatur. ferre autem omnia puncta proprie dicebatur, cui omnibus suffragijs aliquid mandatur. nam suffragia punctis, non litteris, notabantur: quod & Porphyrio prodidit.

Hic meret aera liber Sosiis, hic & mare transit: hic liber, qui & prosit, & delectet, bene uendetur a bibliopolis. Sosij bibliopolae antea fuerant, inquit Porphyrio: quorum nomine bibliopolae significantur omnes, ut supra tonsores omnes in Licino. *Meret aera*, lucrum affert. nam Aes pro pecunia usurpari constat. Et, *Meret sestertios uicenos*, dixit Varro in Eumenidibus, apud Nonium. Nec dissimile illud Ciceronis pro Comoedo: *Illa membra merere per se non amplius poterant XII. aeris.*

HORATIVS

S v n t *delicta tamen, quibus ignouisse uelimus.*
Nam neque chorda sonum reddit, quē uult manus, & mens;
Poscentiq. grauem persaepe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Verum, ubi plura nitent in carmine; non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?

Vt

Vt scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamuis est monitus, uenia caret, & citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis, terq. bonum, cum risu miror, & idem
Indignor. quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.
Vt pictura, poesis erit: quae, si propius stes,
Te capiet magis; & quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum; uolet haec sub luce uideri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen.
Haec placuit semel: haec decies repetita placebit.

EXPLANATIO

AVT *humana parum cauit natura:* quae cauere omnia non potest. ideo uel incuriae, uel naturae concedatur aliquid.

-si peccat idem: pro, in eodem loco. usitata locutio.

-librarius: qui libros describit.

-qui multum cessat: cuius multa delicta sunt.

-fit Choerilus ille: eo loco illum habeo, quo Choerilum illum, qui peccat saepissime, bis, ter ue recte scribit.

-cum risu miror, & idem Indignor: ita coniungo. Alij uerbum *Indignor*, ad sequentem uersum adiungunt. In bonis, inquit, Choerili uersibus, qui sunt paucissimi, rideo, propter nouitatem rei: ut, si stultum aliquem grauem interdum personam sumere, & prudenter loqui uideamus. miror autem, aliquid ab eo recte fieri, qui peccare consueuerit. *Idem indignor:* qui rideo, idem indignor: quae contraria sunt: sed rideo, quod ab eo quidquam recte fiat; indignor,

dignor, quod, cum delicta Choerili multa, & grauia sint, paucissima uero laude digna, se tamen poetam putet, uel ab alijs putetur. quis enim non indignetur, quod bis, ter ue tantum bonus, praeterea semper malus, tamen poeta existimetur? sic epist. 1. lib. 1. ad Atticum: *Puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse.* Et lib. 1. de Orat. *Quos multas horas exspectaui, cum in campum properaret, & ridens, & stomachans Scaeuola.* Choerilus hic temporibus uixit Alexandri Magni; ab eoq. pretium non mediocre tulit eorum uersuum, quibus eius res gestas persecutus erat. epist. 1. lib. 2. *Quod si quis ideo sibi ueniam peccanti dandam arguerit, quia Homerus quoque peccauerit: respondebo, qui peccet interdum in magno poemate, ei recte ignosci; peccanti saepius, quod exemplo Choerili demonstratum est, non ignosci.* Dixit iam, *Verum, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendar maculis.* Obiectionibus, & confutationibus frequens est Horatius: quas qui non agnouerit, implicabitur, & obiectionem aut admiscebit ad superiora, aut Horatij sententiam iudicabit: confutationem autem, ut ab antecedentibus diuersam, uel ut contrariam interdum, ualde mirabitur. hic quidem cur indignetur Horatius, quod Homerus interdum peccet? non ne se raro peccantibus dixit ignoscere, in eo loco? *Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendar maculis.* Praeterea, quam absurdum, ut indignetur Horatius ob eam culpam, quam ipse excusat: subiungit enim: *Verum opere in longo fas est obrepere somnum.* Contra, quid argutius, & elegantius inducta primum obiectione, deinde statim confutatione subiuncta? Dormitat interdum & Homerus ipse, dicat aliquis. fateor, sed opere in longo: in quo dormire quidem non licet; dormitare autem quandoque licet.

- obrepere somnum: dormitare. is autem dormitare dicitur, qui neque uigilat, neque dormit, sed obrepente somno, inter utrumque uersatur. manifestum habemus exemplum in Ciceronis epistola ad Atticum, lib. 2. *Cenato*, inquit,

quit, *mihi, & iam dormitanti, pridie kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis*. Ideo fit minor Homeri culpa, qui dormitet interdum, numquam dormiat. & recte subiunxit Horatius, *Obrepere somnum*. nam, cum dormimus, non amplius obrepit, sed totus adest. Dormitantis Homeri exemplum, non est lamentatio Vlyssis in Scylla, de qua meminit Aristoteles in Arte poetica: non enim de lamentatione illa uerbum apud Homerum reperitur. Sed, opinor, peccatum notauit Aristoteles alicuius tragici poetae, cuius tragoediam non habemus. Quae uero apud Homerum non admodum laudari debeant, nemo uidit, opinor, acutius Dionysio Longino. is in eo libro, quem inscripsit περὶ ὕψους λόγου, Homerum ait in Iliade furere sibi uideri, qui etiam deos uulnerari, dissidere inter se, lacrumari, & in uincula conijci faciat; homines autem, qui ad Troiam pugnant, pro uirili deos efficiat: ut hominibus nimium tribuisse, deorum autem maiestatem minuisse uideatur. In Odyssea uero sui dissimilem, idest inferiorem heroica maiestate, Longinus iudicat; quippe cum heroes interdum lamentantes, & lugentes inducat; praeterea, Iouem a Peliadibus, ut pullum, educatum; Vlyssem, facto naufragio, decem dies sine cibo uiuentem: aliaq. incredibilia. Haec, & alia huiusmodi Longinus egregie: quae qui legerit, plane Homerum, quod Horatius dixit, dormitasse censeat. ut bona pictura propius intuenti placet, mala procul spectanti, unde uitia non cognoscuntur: sic bona poesis saepe lecta numquam satietatem affert, mala semel placebit. unde illud de Liuio, opinor, Andronico: *Liuianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur*.

Vt pictura, poesis: Apta comparatio. sic Cicero Tusc. v. *Traditum est*, inquit, *Homerum caecum fuisse. at eius picturam, non poesim, uidimus*. &c.

amat obscurum: ut tenebris uitia tegantur.

argutum: subtile, cum diligentia: ut appellantur a Cicerone

cerone *Argutißimae litterae*, ad Att. lib. 11. &, *Arguta manus* in oratore improbatur lib. 111. de Orat. quae nimium frequenti motu uerba studeat exprimere.

- non formidat: quia caret mendis.

HORATIVS

O maior iuuenum, quamuis & uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis; hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. consultus iuris, & actor
Caussarum mediocris, abest uirtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est. mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, & Sardo cum melle papauer,
Offendunt; poterat duci quia cena sine istis:
Sic animis natum, inuentumq. poema iuuandis:
Si paullum summo discessit, uergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusq. pilae, disci ue, trochiue, quiescit;
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, uersus tamen audet fingere. quid ni?
Liber, & ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum, uitioq. remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua.
Id tibi iudicium est, ea mens. siquid tamen olim

Scripseris, in Maecij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras; nonumq. prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris, nescit uox missa reuerti.

EXPLANATIO

O MAIOR *iuuenum:* ad duos Pisones fratres hunc librum mittit: sed hic maiorem affatur: quia fortasse minoris aetas nondum ferret, ut ad summam artis poeticae laudem praeceptis, & monitis esset excitandus.

- certis medium, & tolerabile rebus.

Recte concedi: quibusdam in rebus id, quod medium, ac tolerabile est, concedi: poetis autem, ut in mediocritate consistant, non concedi.

Messallae: Valerij, gentis patriciae: cuius laudes attigit egregie Cicero in epistola ad M. Brutum. Hic, post obitum Bruti, & Cassij, cum reliquijs fugati, caesiq. exercitus, Octauiano, & Antonio, aduersae partis ducibus, se tradidit: acceptusq. pro eius uirtute perhonorifice, floruit apud Augustum gratia, & auctoritate, augurq. fuit, ut Macrobius lib. I. prodidit, annos LV. & in medium usque Augusti principatum, ut in Tacito legimus, uitam perduxit. huius eloquentiam non solum Cicero in ea, quam dixi, epistola; sed etiam Tacitus in dialogo de oratoribus mirifice laudat. simul enim numerat, quibus in eloquentia partes primae deferebantur, Ciceronem, Caesarem, Coelium, Caluum, Asinium, Messallam, & haec subiungit: *Cicerone mitior Coruinus, & dulcior, & in uerbis magis elaboratus.* Vitium tamen in eo, notat idem Tacitus: ait enim paullo post: *Quis hunc ferat oratorem, de infirmitate ualetudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Coruini.*

Cascellius Aulus: ut Messallam actorem caussarum optimum,

mum, sic A. Cascellium iurisconsultum primarium dicit. de hoc ita scripsit Pomponius lib. I. Dig. *Trebatius peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur, Offilius utroque doctior*. Eiusdem a Quinctiliano lib. VI. & Macrobio lib. II. fit mentio.

Non homines, non di: ut aliquid magis exprimerent, deos, & homines simul ueteres nominabant. ut cum dicerent, *Dijs hominibusque approbantibus, Dijs hominibusque inuitis:* & hic Horatius, *Non homines, non di:* pro, minime homines concedunt.

-columnae: utrum & hoc dixit augendi gratia, quod non homines modo, non dij, sed ne columnae quidem ipsae, in quibus poemata recitarentur, mediocrem poetam ferrent: an, *Columnae*, pro, auditores, qui ad columnatum, ut ita loquar, aedificium, ubi poetae suos uersus canebant, conuenire soliti erant? unde Iuuenalis: *Assiduo ruptae lectore columnae*.

-crassum unguentum: unguentis ueteres in potu, odoris, opinor, caussa, usos esse, Plinius lib. XIII. cap. 3. declarat. tenui tamen unguento, non crasso, delectabantur.

-Sardo cum melle papauer: non offendit papauer cum melle, sed cum melle Sardo, pessimi saporis, ut ait Porphyrio. papauer autem in secunda mensa cum melle apponebatur, ut in Plinio lib. XIX. cap. 8.

-duci: non protrahi; sed *Duci*, id est confici; & a principio ad finem duci, non intermissa, licet his careret.

Sic animis natum, inuentumq. poema iuuandis: natum quidem, & inuentum delectandi caussa, postea tamen ad utilitatem etiam transductum, quod supra dixit.

-qui nescit: non ludit.

-impune: licet enim circumstanti populo inscienter, ineptéq. ludentem irridere.

-quidni? obiectio: cur non fingas uersus? cum sit non liber modo, ut libertinus, sed etiam ingenuus, ut qui libe-

ros, & patrem, & auum nominare possunt; nec solum ingenuus, uerum etiam diues, equestri censu, qui fuit HS CD. addo probitatem, eamq. summam. Haec ubi collegit Horatius, hoc uersu, obiectionem diluens, respondet: *Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua.* id est, nisi uales ingenio, uersus ne fingas: non enim, quod liber, ingenuus, diues, & ab omni remotus uitio sis, propterea id, in quo Minerua, scientiarum dea, repugnat, aggredi debes. Inuita Minerua fieri dicitur, quod infeliciter fit. Cicero epist. I. lib. III. ad Appium.

Id tibi iudicium est, ea mens: tu quoque ita iudicas, itaq. uis: ne scilicet inuita Minerua scribantur uersus: sed, qui recte nescit scribere, abstineat. *Mens* hic pro uoluntate interpretor: ut epistola I. lib. I. *Non eadem est aetas, non mens.* Et Cicero pro Milone: *Dÿ hanc illi mentem iniecerunt, ut Milonem conaretur occidere.*

-si quid tamen olim Scripseris: quamquam tu quoque ita iudicas, ac uis: tamen, si quid olim scripseris, iudicio permitte Maecij poetae, patris, & nostro, nec nisi post nonum annum edas.

-olim: Pisonum frater maior nondum aptus per aetatem ad scribendum uidebatur.

-Maecÿ: hic est P. Maecius Tarpa, poematum intelligẽs existimator: de quo Cicero in epist. I. lib. VII. ad Marium, *Nobis*, inquit, *erant ea perpetienda, quae scilicet P. Maecius probauisset.* Et Horatius Sat. X. lib. I.

-Haec ego ludo;
Quae nec in aede sonent certantia iudice Tarpa;
Nec redeant iterum, atque iterum spectanda theatris.

hunc diu uixisse constat: quando iam tunc scribente ad Marium Cicerone, anno urbis DCXCIIX. quo anno Pompeius Magnus iterum consul fuit, eius iudicio poemata committebantur: & post annos multos, Augusto imperante, aliorum scripta ponderauit. quo autem anno illam episto-

lam

Iam Cicero scripsit, in qua Metij mentionem fieri uidemus, annum aetatis decimum Horatius agebat; natus L. Manlio Torquato consule, ut ipse testatur in Ode ad Amphoram: *O nata mecum consule Manlio*: Manlius autem decem annis consul fuit ante Pompeium iterum consulem.

Membranis: speciem pro genere posuit. non enim solis membranis, sed chartis etiam, philyrae cortice, scribebatur. ut in Vlpiano legimus lib.xxxII. Dig. & apud Martianum.

HORATIVS

Silvestres homines sacer, interpresq. deorum
Caedibus, & uictu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones:
Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo uellet. fuit haec sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere uago; dare iura maritis;
Opida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit. post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusq. mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. dictae per carmina sortes:
Et uitae monstrata uia est: & gratia regum
Pierijs tentata modis: ludusq. repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi musa lyrae sollers, & cantor Apollo.

EXPLANATIO

SILVESTRES *homines sacer, interpresq. deorum*
Caedibus, & uictu foedo deterruit Orpheus: extollit poetas eximijs laudibus, ne Piso maior animum a uersibus, ut ab humili, obscuraque re, abducat. itaque post laudes infra subiungit:

- ne forte pudori
Sit tibi musa lyrae sollers, & cantor Apollo.

- deterruit: remouit: quia feros animos dulci carmine leniuit, & ad humanitatem transduxit. *Deterrere*, non est hic terrorem inijcere, sed aliquid agere cupientem, aut agentem dissuadere, & ad aliam conuertere. Cicero epist. 2. lib. v. ad Metellum: *Egi cum Claudia uxore tua, & cum uestra sorore Mucia, ut eum ab illa mente deterrerent.*

- Orpheus: poeta Thracius, sacer, & interpres deorum ab Horatio dictus, quia poetae omnes in deorum tutela sunt, eorumq. tamquam internuncij, & interpretes putantur: quo maior dictis eorum habeatur fides. Cicero pro Archia: *Suo iure uester ille Ennius sanctos appellat poetas; quod quasi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis esse uideantur.* Et in extrema oratione: *Petimus a uobis, iudices, ut eum, qui uos, qui uestros imperatores, qui populi R. res gestas semper ornauit, quiq. est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, sic in uestram accipiatis fidem, ut humanitate uestra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus esse uideatur.* Et Ouidius in elegia de Tibulli obitu: *At sacri uates, & diuum cura uocamur:*
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

- Amphion: & hic poeta: qui rudes Thebanorum animos uersu excoluit, atque expoliuit, & amicitiam inter eos, ac beneuolentiam conciliauit, dictus ob hoc *Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda Ducere quo uellet.* Doctum

a Mercu-

a Mercurio significat Horatius in Ode illa, lib. III.

Mercuri, nam te docilis magistro
Mouit Amphion lapides canendo.

-arcis: urbem Cadmus condidit: in moenia exstruxit Amphion: quod urbis praesidium est: itaque potest arx uocari, quod moenibus arceantur hostes.

-testudinis: lyrae: nam ex testudine primum lyram confecit Mercurius.

-fuit haec sapientia quondam: olim haec uigebat sapientia, qua poetae maxime excellebant: quod Platonis, & aliorum testimonio constat.

Publica priuatis secernere: hoc, & quae sequuntur, poetis attribuit: subiungit enim:

Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit.

-dare iura maritis: ut mariti certo concubitu contenti sint.

-moliri: exstruere. quamquam hoc uerbo rei potius initium significari solet: quo modo si hic accipiatur, *Opida moliri*, interpretabimur, opidorum fundamenta iacere, & in unum homines cogere, ut deinde ciuitas pariter & urbs augeantur.

-leges incidere ligno: aereis tabulis, ait Porphyrio, antiqui non sunt usi, sed roboreis incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae ἄξονες uocantur.

Tyrtaeus: hunc Lacedaemonijs ducem ab Atheniensibus datum, excitasse carminibus militum animos contra Messenios hostes, & uictoriam peperisse, auctor est Iustinus lib. III. De hoc & Plato meminit, & uersus eius recitat, item Lycurgus orator, & Stobaeus.

-mares animos: Spartanorum, effeminati languoris expertes.

-dictae per carmina sortes: oracula uersibus data. ideo potest deorū interpres uocari poeta, quod de Orpheo dixit.

- uitae monstrata uia est: poetarum praeceptis.

- tentata: quaesita. cari enim regibus, ac principibus poetae.

- ludusq. repertus: ad multas utilitates, quae oriuntur ex poetica, uoluptatem addit. Ludus, inquit, carminibus repertus est: quia scenicis ludis poetarum fabulae agebantur. Erant autem ludorum duo genera, quorum scenici in cauea, Circenses in circo maximo dabantur.

- longorum operum finis: recreamur enim ludis post labores: ludi autem scenici poetica reperti.

- ne forte pudori
Sit tibi musa lyrae sollers, & cantor Apollo: ne forte operam te dare carminibus pudeat.

- lyrae sollers: lyrae perita.

- Apollo: qui uatibus praeesse dicebatur.

HORATIVS

NATVRA fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit uideo ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq. puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & uino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq. magistrum:
Nunc satis est dixisse: ego mira poemata pango.
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici, sane nescire fateri.

EX-

EXPLANATIO

NATVRA *fieret laudabile carmen, an arte,*

Quaesitum est: Absolutis laudibus, redit ad praecepta. uult enim neminem in natura tantum ponere, ut artem contemnat; rursusq. neminem, solo studio, adiumentis naturae carentem, sperare se ad poeticam laudem posse peruenire.

-*sine diuite uena:* sine opibus naturae.

-*rude ingenium:* nulla doctrina excultum.

-*qui Pythia cantat:* tibicinum utitur exemplo: quos non prius ait canere tibijs, quam a magistro didicerint: cum multi, nulla imbuti scientia, se tamen poetas esse profiteantur.

Pythia: ludi erant ad honorem Apollinis, ob interfectum serpentem Pythona, celebrati. Ouidius lib. 1. Met. Posuit Horatius, ut solet, speciem pro genere, Pythia pro ludis omnibus, in quibus tibicen caneret.

Nunc satis est dixisse: nunc, etsi nihil didicerint, se tamen optimos poetas esse dicunt, & hoc ipsum putabunt sufficere.

Occupet extremum scabies: currentes pueri scabiem ei, qui cucurrisset extremus, solebant imprecari. eos, inquit, imitantur hi, qui sibi summam in poetica laudem ita arrogant, quasi, qui locum habuerit extremum, ei rabiem imprecentur.

-*relinqui:* ultimum inter poetas.

HORATIVS

V*T praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,*
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positis in fenore nummis.
Si uero est, unctum qui recte ponere possit,

Et ſpondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem, uerumq. beatus amicum.

EXPLANATIO

-AD *lucrum ire:* muneribus aſſequuntur diuites, ut laudentur, & poetae optimi dicantur: quae non uera laus, ſed aſſentatio eſt.

-*unctum recte ponere:* largis epulis, recteq. conditis excipere. nam, *Unctum*, ad copiam refero; *Recte*, ad condiendi ſcientiam, artemq. apparandi.

-*mirabor, ſi ſciet inter-*

Noſcere mendacem, uerumq. beatus amicum: ita laudatores multos inueniet, etiam ſi poeta non ſit, ut uerum amicum a falſo diſtinguere non poſſit. id eſt, uerum amicum, a quo de ſuis uitijs admoneatur, uix quemquam habebit. nã qui habet ueros amicos, facile eos ab aſſentatoribus diſtinguit: cum illi reprehendant, quae ſunt reprehendenda, hi uero etiam uitia in laudem conuertunt.

HORATIVS

TV, *ſeu donaris, ſeu quid donare uoles cui,*
Nolito ad uerſus tibi factos ducere plenum
Laetitiae. clamabit enim, pulchre, bene, recte:
Palleſcet ſuper his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet: tundet pede terram.
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: ſic

Deriſor

Derisor uero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus. si carmina condes;
Numquam te fallant animi sub uulpe latentes.

EXPLANATIO

NOLITO *aduersus tibi factos ducere plenum Laetitiae:* nolito auditorem, & iudicem ad tuos uersus adhibere.

Pallescet super his: quasi commotus uersuum tuorum eximia elegantia.

-*stillabit rorem:* lacrumas emittet prae laetitia.

-*saliet, tundet pede terram:* admirantis haec omnia signa sunt: quae uidebis in eo, cui uel donaueris aliquid, uel te donaturum ostenderis.

-*conducti:* mercede. Praeficae uocabantur mulieres, in funeribus, accepta mercede, plorantes.

-*plus mouetur:* magis laudat. non enim uerus laudator saliet, tundet pede terram.

Reges dicuntur &c. Reges, antequam aliquem in amicitiam recipiunt, multa potione explorant, an ebrius arcana patefaciat. sic poeta, ne iudicem faciat suorum carminum, quem sibi uerum amicum non antea cognouerit.

-*culullis:* hic, & in Odis usurpatur, pro calicibus, & poculis. a Culeo, maxima liquoris mensura, qua uicenae amphorae continebantur.

-*torquere mero:* ut ebrij dicant, quae sobrij silentio tegerent. epist. v. lib. I. *Quid non ebrietas designat? operta recludit.* Plinius etiam de ebrijs haec, lib. XIV. cap. 22. *Tunc animi secreta proferuntur. alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, rediturasq. per iugulum uoces non*

continent, quam multis ita interemptis. uulgoq. ueritas iam attributa uino est. qui cum dixit, attributam uino ueritatem, respexit fortasse ad illud Theocriti: οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλαθέα.

- quem perspexisse laborent,

An sit amicitia dignus: qui an sit amicitia dignus, nosse cupiant. sic Cicero in epistola 1. lib. IV. ad Sulpicium: *Rem uides, quo modo se habeat.* Pro, uides, quo modo se res habeat. Et Caesar lib. I. bel. Gal. *Rem frumentariam, ut satis commode importari posset, timebant.* Terentius in Adelphis: *Illum, ut uiuat, optant.* Plautus in Aul. *Tu me, & ego te, qualis sis, scio.*

Numquam te fallant animi sub uulpe latentes: fictis amicis ne credas: iudicem sume, non qui simulet, dolosеq. agat, sed eum, a quo te ex animo diligi certo scias.

HORATIVS

QVINCTILIO *si quid recitares, corrige, sodes,*
Hoc, aiebat, & hoc. melius te posse negares:
Bis, terque expertum frustra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere uersus.
Si defendere delictum, quam uertere, malles:
Nullum ultra uerbum, aut operam sumebat inanem:
Quin sine riuali teque, & tua solus amares.

EXPLANATIO

QVINCTILIO: poetae Cremonensi, Virgilij amico, equiti Romano, ait Porphyrio, de quo in Ode XXIV. lib. I. Nonnulli putant esse, qui Varius nominatur, Sat. X. lib. I. Ego aliter

aliter sentio. non enim uideo, qui possit unus duarum esse gentium, Quinctiliae, & Variae. Ianus quoque Parrhasius foedo errore lapsus est. nam putauit hunc esse Quinctilium Varum, qui cum legionibus in Germania caesus est, eundemque, cui Augustus emendandorum Virgilij carminum, post eius obitum, curam demandauit. Ego tres arbitror, Quinctilios, Varos fuisse. unum, qui a Germanis occisus est; alterum, qui nominatur hic ab Horatio, & Ode XXIV. lib. I. mortuus lugetur; tertium, de quo meminit Virgilius ecloga sexta, qui, Augusti iussu, Virgilij poema post eius interitum emendauit. Quinctilius autem, de quo hic meminit Horatius, emendare Virgilij uersus eo mortuo non potuit, quando, eum ante Virgilium obijsse, indicat Ode XXIV. lib. I. is autem, qui Virgilio superstes fuit, ille est, qui nominatur ecloga sexta. qui uero lugetur ab Horatio Ode XXIV. lib. I. si esset is, qui cum legionibus in Germania ceciderat, uerisimile uidetur mentionem aliquam Horatium esse facturum tam acerbae caedis. quocirca tres Quinctilij Vari, Augusto principe, uixerunt; quorum duobus amicitia cum Virgilio intercessit; & alter ante eum obijt, de quo hic meminit Horatius, & in Ode praedicta, alter post eum uixit, eiusq. poema, Augusto mandante, cum Tucca correxit.

- *recitares:* ex hoc, & sequentibus uerbis, *Aiebat, Iubebat,* de mortuo Quinctilio loqui Horatium constat.

- *tornatos incudi reddere:* totos denuo scribere, qui corrigi non potuerant. primum uerbum a lignarijs, opera torno facientibus, alterum a ferrarijs transtulit. *Tornari* & Cicero dixit in lib. de Vniuersitate.

- *uertere*: mutare, corrigere.

Quin sine riuali teque, & tua solus amares: permittebat, ut amares ipse te, tuaq. scripta sine riuali: id est, quando tibi tua placerent, amares ipse: in quo riualem haberes neminem. Hoc loquendi modo usus est Cicero lib. III. ad Q. fra

trem:

trem: *Quam ineptus, quam se ipse amans sine riuali.* Et epist. 3. lib. VI. ad Att. *Huius nebulonis operatione si Brutus moueri potest; licebit, eum solus ames, me aemulum non habebis.*

HORATIVS

VIR *bonus, & prudens uersus reprehendet inertes:*
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum. ambitiosa recidet
Ornamenta. parum claris lucem dare coget:
Arguet ambigue dictum: mutanda notabit:
Fiet Aristarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
In mala, derisum semel, exceptumq. sinistre.
Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Vaesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimes uersus ructatur, et errat;
Si ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueam ue, licet, succurrite, longum
Clamet, io ciues; non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atque
Seruari nolit? dicam; Siculiq. poetae
Narrabo interitum. deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam

Insi-

Insiluit, sit ius, liceatq. perire poetis.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur uersus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres; an triste bidental
Mouerit incestus. certe furit; ac, uelut ursus,
Obiectos caueae ualuit si frangere clatros,
Indoctum, doctumq. fugat recitator acerbus.
Quem uero arripuit, tenet, occiditq. legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

EXPLANATIO

- BONVS *& prudens:* utrumque requiritur in eo, qui de alienis uersibus iudicat. nam, nisi bonitas adsit, assentabitur; nisi prudentia, siquid uitiosum est, non uidebit.

- *reprehendet:* ab hoc uerbo usque ad illum locum, *Fiet Aristarchus*, animaduertendum, quam uarie, quam eleganter hoc totum boni, ac prudentis iudicis officium Horatius expresserit. ad iudicandam enim cuiusque uitij correctionem diuerso loquendi genere usus est.

Fiet Aristarchus: hoc non simpliciter significat, iudicabit: nam iteraretur, quod dictum est: sed, seuere iudicabit, seueri iudicis personam suscipiet, Aristarchi morem in iudicando prorsus imitabitur, nec ad uoluntatem loquetur.

- *in nugis?* sic loquuntur, qui uere non amant. nugae, inquiunt, uersus sunt: an ego nugarum caussa amici animum offendam? respondet Horatius: at ex his nugis, seria nascentur, quae amico tuo, quem offendere noluisti, malum afferent. nam in errore laudatus, errabit rursus, dum

se

se putat recte facere. ita derisus ab amico semel, maleq. exceptus, deridendum se alijs postea praebebit. qui si etiam in puteum, foueam ue deciderit; qui eum tollat, nemo erit.

In mala: quae infra narrantur. nam, si deciderit in puteum, nemo tollet eum, licet opem assidue implorantem.

- derisum: deridet enim is, qui laudat ea, quae reprehendenda censet.

- exceptum sinistre: ab amico laudante gratiae caussa. hic, *sinistre*, pro, male, dictum est, ut supra *Laeuus*:

O ego laeuus,

Qui purgor bilem sub uerni temporis horam.

- mala scabies: molestissimum scabiei genus, Graeci ἄγριαι, Celsus feram scabiem appellat.

- morbus regius: quo qui laborant, Icterici uocantur, a miluo, qui graece ἴκτερος dicitur, quod eo morbo aegrotantium oculi, miluinis similes, id est crocei coloris, efficiantur.

- fanaticus error: cum errant homines furore perciti.

- et iracunda Diana: quae fanaticum errorem immittit ijs, a quibus laesa est.

Vaesanum tetigisse timent: *Vaesanum*, quia falsis laudibus ad insaniam redactus est.

- incauti: qui sapiunt, ab eo sibi timent, uaesanum putantes: at pueri insipientes, & incauti, cum ab eo laedi possint, sequuntur tamen.

Qui scis: dicam ego, Qui scis, an sciens, & prudens in foueam se demiserit? cum in ardentis Aetnae uoraginem se sponte demiserit Agragantinus poeta Empedocles.

- dicam: pro, dicet aliquis.

- Siculi: Agragantum in Sicilia.

- poetae: poetam non putat Aristoteles, qui non imitatur. ideo poetarum numero excludit Empedoclem, qui, omissa imitatione, res naturales carmine exposuit. Vitam eius, a Laertio scriptam, habemus.

- arden

- *ardentem Aetnam:* montem in Sicilia ignes eructantem, quem Petrus Bembus, postea summis uirtutibus in Cardinaliũ Collegiũ cooptatus, libro celebrauit luculento.

- *frigidus:* lusit in antithetis, *Ardentem, Frigidus*. Sed notauit Empedoclis insaniam. nam caloris defectus inscitiam notat. Sic Virgilius Georg. lib. II.

Sin, has ne possim naturae accedere leges,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

- *insiluit:* ut in Aetnae montis uoraginem se deijceret. putauit enim fore, ut, eius corpore nusquam inuento, in caelum eum adscendisse homines existimarent.

- *sit ius:* hoc iuris poetae habeant, ut ijs, cum uelint, perire liceat.

- *idem facit occidenti:* idem facit, ac si eum occideret. Graeca figura, quam traduxit ad usum Latinae linguae Sallustius in Iugurthae historia, cum dixit: *Quod si iure despiciunt me, faciant idem maioribus suis*, Quo loco uide nostra Scholia.

Nec semel hoc fecit: pergit Horatius narrare, quae dicet is, qui uetet opem ferri prolapso in foueam poetae. Nec semel, inquiet, poeta hic, dum uersus ructatur, & errat, in puteum, aut foueam decidit.

Fiet homo: numquam resipiscet: numquam ructari uersus, & errare desinet: itaque recidet in eandem foueam.

- *famosae mortis:* ignominiosae: cum ob infamiam perierit.

- *amorem:* non, quod perire cupiat, sed quod cupere uideatur, quia pergit ea facere, quae consequitur mors. non enim, retractus e fouea, resipiscet, sibiq. placere, & suos admirari uersus desinet.

Nec satis apparet, cur uersus factitet: criminis poena uidetur, factitare uersus, qui nemini placeant: hic quam culpam commiserit, quo se adstrinxerit scelere, qui tam ma

los uerſus faciat, ignoratur.

Minxerit in patrios cineres: ſi ſepulcra omnia ſancta ſunt, multo magis ea uereri debemus, in quibus parentum noſtrorum conditi cineres aſſeruantur.

-triſte bidental: quid ſit Bidental, Feſtus oſtendit his uerbis: *Bidental dicebant quoddam templum, quo in eo bidentibus hoſtijs ſacrificaretur. bidentes autem ſunt oues, duos dentes longiores ceteris habentes.* Porphyrio autem ſic: *Id, quod Iouis fulmine percuſſum eſt, bidental appellatur. hoc expiari non poteſt. ſunt autem, qui putant, ab agna dictum bidental.* Acron ſic: *Bidental, locus fulminis. triſte autem, quod propter lapſum fulmen conſtituitur. & eſt Bidental a bidentibus dictum. nam reliquias fulminis pontifices cum ſacrificio ſepeliebant.*

Mouerit: uiolauerit.

-inceſtus: hoc ipſo inceſtus, quod ſacrum bidental mo uerit.

-certe furit: furoris quidem ignoratur cauſſa; ſed furor ita patet, ut, aliquod ab eo non mediocre ſcelus commiſſum eſſe, dubitare non liceat. ſceleris autem grauiſſimi exempla duo illa ſunt, mingere in patrios cineres, bidental mouere.

Furit, autem, quia malos uerſus ubique recitare cupit.

-caueae: cauea hic eſt carcer, quo urſi, aliae ue indomitae continentur ferae: quae ſi, clathris effractis, erumpunt, omnes fugant. alibi pro theatri area, e qua ſpectabat ſcenicos ludos populus, accipitur. *Ideo dixit* Cicero lib. 11. de leg. *Ludi publici ſunt circo, caueaq. diuiſi.*

-clathros: ſaepta e tranſuerſis lignis.

-acerbus: quia uerſus recitat, quos audire permoleſtum eſt.

Non miſſura cutem: ita retinent auditorem, ut hirudo cutem

cutem apprehenſam. Haec uſque ad exitum non ex perſona ſua, ſed eius, qui ſeruari non uult inſanum poetam, loquitur Horatius, Pindarum ſecutus, qui digreſſionibus ad finem uſque cantici ſaepe perducitur.

FINIS.

INDEX
RERVM · ET · VERBORVM
QVAE
IN · HORATIO

A

Agi-

B

Blanda

Com-

D

Deserere

E

Gramen

trem: *Quam ineptus, quam se ipse amans sine riuali*. Et epist.3.lib.VI. ad Att. *Huius nebulonis operatione si Brutus moueri potest; licebit, eum solus ames, me aemulum non habebis*.

HORATIVS

VIR *bonus, & prudens uersus reprehendet inertes:*
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum. ambitiosa recidet
Ornamenta. parum claris lucem dare coget:
Arguet ambigue dictum: mutanda notabit:
Fiet Aristarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
In mala, derisum semel, exceptumq. sinistre.
Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Vaesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimes uersus ructatur, et errat;
Si ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueam ue, licet, succurrite, longum
Clamet, io ciues; non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atque
Seruari nolit? dicam; Siculiq. poetae
Narrabo interitum. deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam

Insi-

Insiluit, sit ius, liceatq. perire poetis.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur uersus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres; an triste bidental
Mouerit incestus. certe furit; ac, uelut ursus,
Obiectos caueae ualuit si frangere clatros,
Indoctum, doctumq. fugat recitator acerbus.
Quem uero arripuit, tenet, occiditq. legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

EXPLANATIO

BONVS *& prudens:* utrumque requiritur in eo, qui de alienis uersibus iudicat. nam, nisi bonitas adsit, assentabitur; nisi prudentia, siquid uitiosum est, non uidebit.

reprehendet: ab hoc uerbo usque ad illum locum, *Fiet Aristarchus*, animaduertendum, quam uarie, quam eleganter hoc totum boni, ac prudentis iudicis officium Horatius expresserit. ad iudicandam enim cuiusque uitij correctionem diuerso loquendi genere usus est.

Fiet Aristarchus: hoc non simpliciter significat, iudicabit: nam iteraretur, quod dictum est: sed, seuere iudicabit, seueri iudicis personam suscipiet, Aristarchi morem in iudicando prorsus imitabitur, nec ad uoluntatem loquetur.

in nugis? sic loquuntur, qui uere non amant. nugae, inquiunt, uersus sunt: an ego nugarum caussa amici animum offendam? respondet Horatius: at ex his nugis, seria nascentur, quae amico tuo, quem offendere noluisti, malum afferent. nam in errore laudatus, errabit rursus, dum

se

ſe putat recte facere. ita deriſus ab amico ſemel, maleq. exceptus, deridendum ſe alijs poſtea praebebit. qui ſi etiam in puteum, foueam ue deciderit; qui eum tollat, nemo erit.

In mala: quae infra narrantur. nam, ſi deciderit in puteum, nemo tollet eum, licet opem aſſidue implorantem.

- deriſum: deridet enim is, qui laudat ea, quae reprehendenda cenſet.

- exceptum ſiniſtre: ab amico laudante gratiae cauſſa. hic, *ſiniſtre*, pro, male, dictum eſt, ut ſupra *Laeuus:*

O ego laeuus,
Qui purgor bilem ſub uerni temporis horam.

- mala ſcabies: moleſtiſſimum ſcabiei genus, Graeci ἄγριαν, Celſus feram ſcabiem appellat.

- morbus regius: quo qui laborant, Icterici uocantur, a miluo, qui graece ἴκτερος dicitur, quod eo morbo aegrotantium oculi, miluinis ſimiles, id eſt crocei coloris, efficiantur.

- fanaticus error: cum errant homines furore perciti.

- et iracunda Diana: quae fanaticum errorem immittit ijs, a quibus laeſa eſt.

Vaeſanum tetigiſſe timent: Vaeſanum, quia falſis laudibus ad inſaniam redactus eſt.

- incauti: qui ſapiunt, ab eo ſibi timent, uaeſanum putantes: at pueri inſipientes, & incauti, cum ab eo laedi poſſint, ſequuntur tamen.

Qui ſcis: dicam ego, Qui ſcis, an ſciens, & prudens in foueam ſe demiſerit? cum in ardentis Aetnae uoraginem ſe ſponte demiſerit Agragantinus poeta Empedocles.

- dicam: pro, dicet aliquis.

- Siculi: Agragantum in Sicilia.

- poetae: poetam non putat Ariſtoteles, qui non imitatur. ideo poetarum numero excludit Empedoclem, qui, omiſſa imitatione, res naturales carmine expoſuit. Vitam eius, a Laertio ſcriptam, habemus.

- arden

- ardentem Aetnam: montem in Sicilia ignes eructantem, quem Petrus Bembus, postea summis uirtutibus in Cardinaliũ Collegiũ cooptatus, libro celebrauit luculento.

- frigidus: lusit in antithetis, *Ardentem, Frigidus*. Sed notauit Empedoclis insaniam. nam caloris defectus inscitiam notat. Sic Virgilius Georg. lib. II.

Sin, has ne possim naturae accedere leges,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

- insiluit: ut in Aetnae montis uoraginem se deijceret. putauit enim fore, ut, eius corpore nusquam inuento, in caelum eum adscendisse homines existimarent.

- sit ius: hoc iuris poetae habeant, ut ijs, cum uelint, perire liceat.

- idem facit occidenti: idem facit, ac si eum occideret. Graeca figura, quam traduxit ad usum Latinae linguae Sallustius in Iugurthae historia, cum dixit: *Quod si iure despiciunt me, faciant idem maioribus suis,* Quo loco uide nostra Scholia.

Nec semel hoc fecit: pergit Horatius narrare, quae dicet is, qui uetet opem ferri prolapso in foueam poetae. Nec semel, inquiet, poeta hic, dum uersus ructatur, & errat, in puteum, aut foueam decidit.

Fiet homo: numquam resipiscet: numquam ructari uersus, & errare desinet: itaque recidet in eandem foueam.

- famosae mortis: ignominiosae: cum ob infamiam perierit.

- amorem: non, quod perire cupiat, sed quod cupere uideatur, quia pergit ea facere, quae consequitur mors. non enim, retractus e fouea, resipiscet, sibiq. placere, & suos admirari uersus desinet.

Nec satis apparet, cur uersus factitet: criminis poena uidetur, factitare uersus, qui nemini placeant: hic quam culpam commiserit, quo se adstrinxerit scelere, qui tam ma

N los

los uerſus faciat, ignoratur.

Minxerit in patrios cineres: ſi ſepulcra omnia ſancta ſunt, multo magis ea uereri debemus, in quibus parentum noſtrorum conditi cineres aſſeruantur.

-triſte bidental: quid ſit Bidental, Feſtus oſtendit his uerbis: *Bidental dicebant quoddam templum, quo in eo bidentibus hoſtijs ſacrificaretur. bidentes autem ſunt oues, duos dentes longiores ceteris habentes.* Porphyrio autem ſic: *Id, quod Iouis fulmine percuſſum eſt, bidental appellatur. hoc expiari non poteſt. ſunt autem, qui putant, ab agna dictum bidental.* Acron ſic: *Bidental, locus fulminis. triſte autem, quod propter lapſum fulmen conſtituitur. & eſt Bidental a bidentibus dictum. nam reliquias fulminis pontifices cum ſacrificio ſepeliebant.*

Mouerit: uiolauerit.

-inceſtus: hoc ipſo inceſtus, quod ſacrum bidental mouerit.

-certe furit: furoris quidem ignoratur cauſſa; ſed furor ita patet, ut, aliquod ab eo non mediocre ſcelus commiſſum eſſe, dubitare non liceat. ſceleris autem grauiſſimi exempla duo illa ſunt, mingere in patrios cineres, bidental mouere.

Furit, autem, quia malos uerſus ubique recitare cupit.

-caueae: cauea hic eſt carcer, quo urſi, aliae ue indomitae continentur ferae: quae ſi, clathris effractis, erumpunt, omnes fugant. alibi pro theatri area, e qua ſpectabat ſcenicos ludos populus, accipitur. *Ideo dixit* Cicero lib. II. de leg. *Ludi publici ſunt circo, caueaq. diuiſi.*

-clathros: ſaepta e tranſuerſis lignis.

-acerbus: quia uerſus recitat, quos audire permoleſtum eſt.

Non miſſura cutem: ita retinent auditorem, ut hirudo

cutem

cutem apprehenſam. Haec uſque ad exitum non ex perſona ſua, ſed eius, qui ſeruari non uult inſanum poetam, loquitur Horatius, Pindarum ſecutus, qui digreſſionibus ad finem uſque cantici ſaepe perducitur.

FINIS.

INDEX RERVM · ET · VERBORVM QVAE IN · HORATIO

A

Agi-

B

Blanda

Com-

D

Deffere

E

Gramen

L

Lis

M

N

O

Opem

P

Prae-

Q

R

Reddere

S

T

Togatae

INDEX

RERVM · ET · VERBORVM

QVAE

IN . COMMENTARIO

A

Aristar-

B

C

D

Ebrie-

E

F

G

H

IAM-

K

L

M

N

O

PACUUIO

P

Q

R

S

Spon-



